

Wc  
510





h. 65, 18.

Wc  
510

AMBROSII REU-  
DENII, THEOLO-  
GIÆ DOCTORIS, AC PRO-  
FESSORIS ATQ; PRO TEMPORE  
ACADEMIÆ JENENSIS RECTORIS, FA-  
CULTATISQ; THEOLOGICÆ  
VICEDECANI,

ORATIO

Habita ab eo ad quartum Augusti in templo  
Collegii sub initium quarti Recto-  
ratus : in qua

*PRIMUM, Exordii loco, graves in medium afferuntur cause;  
quamobrem gubernationis scholasticæ munus, quarta vice de-  
latum, initio modeste sit recusatum, postea tamen consentienti-  
bus omnibus omnium Facultatum Professoribus, susceptum.*

*DEINDE agitur de illustrissimi, ac piissimi Principis, DN. JO-  
HANNIS WILHELMI, Ducis Saxonix &c. Nati-  
vitate, quod attinet ad Parentes, Tempus, Locum: & vita  
tam privata in educatione, moribus, & vitæ genere, quam Pu-  
blica in constitutione Ecclesiæ &c.*

*IVM invitantur Studiosi ad obedientiam prestandam repetitis,  
ac denuò prælectis statutis, memores verbi divini, illustrissimo-  
rum Principum, Magistratus Academici, parentum, officii, &  
multarum utilitatum.*

Impressa JENÆ Typis Christophori Lippoldi.  
ANNO 1603.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)




Epigramma.

**D**Ux pius, atq; Pater patrie illustrissimus Heros,  
Jan Guilhelmus erat : dum pia fata dabant.  
Nunc Mundo ingrato sublatus gaudia sentit  
Æterna : ut petiit nocte dieq; pius.  
Ingratus Mundus, non tanto Principe dignus,  
Amisit summi munera summa Dei.  
Sed, quot perpendunt? quot munera tanta requirunt?  
Pauci. Nam pietas pectora pauca tenet.  
Fecibus immundis latantur secula nostra.  
Ergò sui labri fercula digna ferunt.



Nobili-



**Nobilibus, ingenuis, ingeniosis, eruditis, modestis, ac piis juvenibus.**

*M. Georgio Klein / Lengfeldensi Misnico,  
Friderico Erlbeck à Sinnigen, nobili Palatino.*

*Joächimo Ludovico, Lygio, Silesio.*

*Laurentio Volck / Martisburgensi, Misnico.*

*Christiano Puchpach / Hallensi, Saxoni.*

*Johanni Jacobo de Pertelshoven in Fronhoff nobili Palatino.*

*Johanni Wilhelmo ] Schott à Stockensels / & Bisch-  
Johanni Theodorico ] bach / Nobb. Pall.*

*Christophoro Zezler, Cambensi, Palatino,*

*Johanni Ernesto Schroëro, Dantiscano, Borusso.*

*Heinrico Born Schlaizensi Varisco.*

*Johanni Sigismundo Portner / nobili Palatino.*

*M. Michaëli Griscovio Anclamensi, Pomerano.*

*Adamo Blumnero, Lignicensi, Silesio, &*

*M. Carolo Ludovico Scheckh, Studgardiano, Wirtembergico*

*Theologia, Jurisprudentia, Medicina, ac Philosophia studiosis, Convictoribus suis longè suavissimis. S. D. P.*

(:) 2

Quam-



UAMVIS MAXIME  
vellem, Nobiles, ingenui, inge-  
nuosi, eruditi, modesti, ac pii ju-  
venes, Convictores longè cha-  
rissimi, ut huic Orationi, quā,  
gravissimis adductus rationi-  
bus, iam typis describēdam, curo, aliquid, lecti-  
one dignum, præmittere, possem; præsertim,  
cū non pauca insint, quæ declaratione, ac de-  
fensione indigere, videantur; tamen, cū hoc  
tempore, quo Diabolus, & eius organa afflictæ  
nostræ Academiæ varias struūt insidias, eiusq;  
incrementum impedire, conantur, huiusmodi  
expedienda sint negotia, quæ me à scribendo  
abstrahunt, labore isto præfandi nunc superse-  
dendum esse, censeo. Quapropter benevoli,  
& candidi, Lectores, qui volent, editionis  
causas, haud contemnendas, desumere pote-  
runt ex ipsius Orationis Proœmio, *πραγματεία*,  
& Epilogo.

Cæterum, vobis, humanissimi viri ac lectis-  
simi iuvenes, hanc de illustrissimo Principe ac

Duce

Duce Saxoniae Dn. JOHANNNE WIL-  
HELMO &c. orationem hanc potissimum  
ob causam dedico, & offero: ut scilicet hac ra-  
tione, opportunam nactus occasionem, vestram  
erga me praedice[m] singularem benevolentiam,  
& propensam voluntatem; quam vel inde satis  
superq[ue] perspectam, atq[ue] cognitam habeo: quod  
in consueto Rectoratus mei quarti prandio mi-  
hi, quartum legitimo modo electo, & renunti-  
atio Rectori, praesentibus multis honestissimis  
& charissimis hospiti[b], honoris, & boni omni-  
nis gratia; splēdidum exhibueritis, & donave-  
ritis poculū. Pro quo pulcherrimo munere vo-  
bis universis, ac singulis repromitto grati ani-  
mi memoriam, & promptam, sine ulla excepti-  
one laboris, temporis, & occupationis, ad infer-  
viendum voluntatem.

Quod reliquum est: Deo optimo maximo,  
Patri Domini nostri Jesu Christi, magnas ago,  
maioresq[ue] habeo gratias, cum pro omnibus,  
haectenus in nos collatis, beneficiis; tum, quod  
non ita pridem ingentia, & domestica pericula  
à capitibus nostris clementer propulsaverit.  
Precor autem ab eodem ardentibus votis, ac  
veris gemitibus: vt in posterum quoq[ue] Saxe-  
ptæ nostræ per spiritum sanctum praesto sit, in

(:) 3

eaq[ue]

Duce

eaq̄ docentium ac discipulorum studia, & labores, servata pace, dirigat ad gloriam sanctissimi nominis sui, ad utilitatem Ecclesiae, ad augmentum Salanae, & ad emolumentum totius Reipublicae Christianae. Amen. Datum Jenae  
21. Novembris, anno *Ἰεωυθωρωπορῶντος* 1603.

*Pietatis, Nobilitatis, industriae, ac modestiae vestrae*

*Amantissimus*

D. AMBROSIVS REUDENIVS,  
Salanae Rector.



GRATULATORIO-  
rium per anagramma-  
tismum talem;

DOCTOR AMBROSIVS REUDENIVS.

*Hoc est:*

OB. VIR DEI, MERO S. S. DUCTV ORANS.

*Explicatum carmine jambico dimetro acatolecto.*

BEATUS ES TU VIR DEI,  
ORANS, DOCENSQVE EX SPIRITUS  
DUCTU MERO SANCTISSIMI.

Id quod tuum sic dictitat

Cognomen, ordo, & proprium.

Porro:



Porro: tuo mysterium

Inest utriq; nomini:

**AMBROSIUS REUDENIUS**

Nam: comprehensus annus est

In hisce, quo purgaverat

**LUTHERUS** alma dogmata

A fecibus papalibus.

Hinc omen est: te tradere

**HOC** cum **VIRO** simillima:

Testantur id vel editi

Libri tui doctissimi.

**BEATUS** ergo **VIR DEI**,

**HUIC** doces quòd consona.

Si dignitatis additur

Nomen tuum, id Doctoris est:

**AMBROSIUS REUDENIUS**

**DOCTOR** sacris in Bibliis.

Tunc Orbis anni prodeunt,

Queis **ABRAHAM** credentium

Vixit parens: Hinc ominor

Te sicut **ABRAHAM** credere,

Fideq; eadem vivere.

**BEATUS** ergo **VIR DEI**,

Credens docensq; ut **ABRAHAM**,

Si, quod vocationis est,

Nomen tuum conjunxero:

**AMBROSIUS REUDENIUS**,

**DOCTOR PROFESSOR PUBLICUS**,

Tunc orbis anni prodeunt,

**JOSEPH** quibus pijssimus,

Castissimus, dignissimus

Vixit, regens Ægyptios,

Rektor, Professor publicus,

**BEATUS** ergo **TU** quoq;

Qui clarus hoc est tempore

**ANNO**

*Christi*

**1517.**

*Abraham*

*anno Mun*

*di 2117.*

*in Vivis*

*fuit.*

*Joseph an*

*no Mundi*

*2278.*

*adhuc su*

*perstes*

*fuit.*

Doctor

Porro:

ANNO  
Mundi.  
2883.  
ungitur  
David  
primâ vi-  
ce, & ex-  
pellit de-  
monium.  
& anno  
84. pro-  
sternit  
Goliath.

Doct̃or professor publicus :  
RECTOR simul pro tempore  
SCHOLÆ JENENSIS inclytæ  
QUARTUM bono nunc omine.  
BEATUS ergò VIR DEI,  
Qui Rector es dignissimus.  
Et, quod magis : Si jungitur  
Vocationis alterum  
Nomen, Decanatus quod est :  
AMBROSIUS REUDENIUS  
DOCTOR PROFESSOR PUBLICUS,  
DECANUS en spectabilis.  
Tunc Orbis anni prodeunt  
DAVID quibus Rex unctus est,  
EX SAULE pellens Dæmona ;  
Sternensq; verbo Goliath.  
Sic : te precante, pellitur  
Dæmon : docente, sternitur  
Cum Jesuitis Pontifex  
BEATUS ergò VIR DEI,  
Cujus scatent mysteriis  
Cognomen, ordo, proprium,  
Vocatio atq; dignitas.  
Contingit hoc rarissimè  
BEATUS ergò VIR DEI es.  
Faxit, precor nunc, totius  
Qui RECTOR Orbis summus est :  
Ut TU SCHOLAM prosperrimus  
Rectè regas in omnibus :  
Vivens diu feliciter  
Cum liberis & conjuge :  
Et me meosq; , dilige.

T. R. M. officiosiss. & amicus vetus  
( ultra annos nunc 40. )

M. Hieronymus Pfnoërus Ecclesiæ Thannanæ Pa-  
stor, & Adjunctarum Inspector.

D. AMBRO.



D. AMBROSI

REUDENII, THEO-  
LOGIÆ PROFESSORIS,

Oratio, habita ab eo sub initium quarti Recto-  
ratus quarto Augusti, anni 1603. in qua post Exordium,  
complectens causas gubernationis scholasticæ, recusatæ &  
susceptæ, agitur de illustrissimi, ac Christianissimi Principis,  
DN. JOHANNIS WILHELMI Ducis Saxonix,  
beatæ memoriæ, &c. Nativitate & vita, tam privata,  
quàm publica, addita exhortatione ad obe-  
dientiam, præstandam  
statutis,



MULTÆ, EÆDEMQUE  
graves sunt causæ, reverendi, claris-  
simi, doctissimi, consultissimi, peri-  
tissimi, humanissimiq; viri, Profes-  
sores, Doctores, Licentiate, Magi-  
stri, Quæstor, Consules, Senatores,  
ac reliqui gratissimi hospites, Collegæ, Compatres,  
amici, & fautores perquàm chari, & colendi, nec non  
universi, ac singuli, quotquot adestis, aut, adesse, debe-  
tis, nobiles, ac studiosi Juvenes, Cives Civitatis Aca-  
demix optimi, & ornatissimi, multæ, inquam, eæ-  
dēq; graves, imò gravissimæ, sunt causæ: quamobrēm  
munus, vel potius onus Rectoris mihi quarta vice,

A

cum

cùm omne trium sit perfectum, imponi, non libenter patiar. Quia quidem in re, non tantùm meã considero ingravescentem ætatem: verùm etiam difficilimã huius provinciã difficilimam, & periculosissimam, nè dicam laboriosissimã, diligenter expendo administrationem. Etenim, quod ad meam infirmam attinet personam, persuasum habeo, patres conscriptos, si voluissent, facilè reperire potuisse rationes: quibus adducti, meã pepercissent tenuitati. Nam in scriptura sacra, quæ omninò sequenda est, Levitæ, ingressi annum quinquagesimum, non amplius fuerunt adhibiti ad suscipienda, & exequenda illa officia quorum Moses, vir Dei, in universo quarto Numerorum capite copiosè meminit. Olim Romani sexagenarios de ponte deiciebant, hoc est, ut mitiorem amplectar interpretationem, natu maiores in otium rejiciebant: & ab omni functione negotiorum relegabant. Durior, & contra legem naturæ est illa sententia, cuius & Cicero pro Sex. Roscio mentionem facit: quòd olim Juventus Romana, quò sola ferret suffragia, senes invalidos de pontibus præcipites dederit. Varro libro de vita patrum secundo honestam causam religiosamq; patefecit: cùm in quintum gradum pervenerant, atq; habebant quinquaginta annos, tum demum erant publicis negotiis liberi atq; expediti, & otiosi. Inde Depontani dicti sunt senes jam veluti emeriti, & à civilibus negotiis in otium remissi. Sic sexagenarii apud Romanos propter ætatis imbecillitatem, rude donati sunt: ac solitorum munerum vacationem acceperunt. Quocircà & Imperator Digestorum libro L. Tit. V. de vacatione & excusatione munerum agit. Quæ consuetudo si in nostram in-

trodu-

roduceretur Academia; mihi meritò remissio dan-  
da esset ab hoc ministerio servili: præsertim, cum, Dei  
beneficio, non procul absim ab anno sexagesimo.  
Quod si meum quaecumq; suffragium satis habuis-  
set ponderis: potiùs dignissimo meo antecessori ma-  
gistratus in hoc semestre prorogandus fuisset, aut ite-  
rum committendus meo in facultate Theologica cha-  
rissimo Collegæ, aut commendandus uni ex pruden-  
tissimis Dominis Jurisconsultis. Profectò, quando  
paulo diligentius examino, & intueor circumstantias  
huius temporis, ac personarum, quæ jam in Salana  
versantur: deprehendo utiq; hoc seculum, & hos  
mores eiusmodi desiderare gubernatorem; qui, pol-  
lens adhuc ingenii, ac corporis viribus, tanto oneri in  
tanta rerum confusione, tantaq; negotiorum mole, sit  
ferundo. Ego, ut ingenuè fatear, meo me metiens  
pede, in hac profecta, & infirma ætate lubens meam  
agnosco imbecillitatem, & in posterum ad res ma-  
gnas, præclarè gerendas, debilitatem. Quapropter  
maximè voluissim, quemadmodùm etiam ad tertium  
Julii in ipsa electione vehementer petii: ut sapiens, &  
inclytus universitatis nostræ Senatus meæ, ut mea  
fert opinio, haud contemnendæ, excusationi reli-  
quisset locum; meq; tantummodò, si visset, vacare u-  
sitis prælectionibus, ac quotidianis precibus, me-  
mor scilicet istius, qui sæpe inculcari solet, selectissimi  
versus:

*Ἔργα νέων, βελαί δὲ μέσων, ἀρχαί δὲ γερόντων.*

*Facta juvenum, consilia mediocrium, vota senum sunt.*

Sed Salana nostra magis sequitur Platonem: qui,  
libro de legibus sexto, loquens de magistratu τῶν νο-  
μοφυλάκων, id est, legibus servandis præfectorum,



admittit ad eum magistratum gerendum quinquagenarium, & sexagenarium usque ad annum septuagesimum. Imò Academia nostra, ordine progrediens per singulas facultates, adhuc rigidior est, nulla habita ratione ætatis. Quomodo ante triennium ad 9. Februarii de consilio, & consensu omnium professorum ex hoc ipso loco creavi, renunciavi, & salutavi magnificentum Rectorem venerandum illum Dn. Senem, etiamnum hinc gratia Dei, salvum, & incolumem, præsentem; qui ad vigesimum secundum Julii anni jam currentis egit annum septuagesimum septimum. Anno quoque superiori munere eodem perfunctus est honoratæ senectutis honorabilis, haud ignotus, Doctor: qui quomodo ex ipsius ore coram audiavi, nunc natus est annos sexaginta sex. Hæc, & similia exempla universi, ac singuli scholæ nostræ sapientissimi Senatores secuti, non item pridem me, secundum receptam consuetudinem, unanimi consensu, consentientibus omnibus omnium facultatum professoribus, legitimè elegerunt, ac vocârunt, mihique, quantumvis non sine causa renuenti, suasores, authores, & hortatores fuere: ut vocationi divinæ parerem; & quartum Rectoratum, legitima, & justa ratione oblatum susciperem. Quod tandem post multas tergiversationes, & obtestationes, invocato numine divino, mihi faciendum esse, putavi. Quapropter, quia jam magnificus Dn. Rector, D. Zacharias Brendelius, Professor Physices, Collega, Compater, & amicus meus dilectissimus, nomine, & jussu totius nostri Synedrii, me publicè in sanctissimo hoc templo sonora voce designavit, proclamavit, & nominavit in hoc semestre Rectorem; mihique, convenientibus, & solen-

& solennibus adhibitis ceremoniis, tradidit sceptrum, & alia insignia, ad hoc regimen pertinentia: ideo, non meis fretus viribus, industria, & prudentia, quam in me nullam, aut exiguam esse, sentio, sed nixus, & confusus sola presentia, gubernatione, ac defensione divina, obo, tenco, efficio, & conficio hoc arduum munus in nomine sanctæ, & individuae Trinitatis, æterni Patris, æterni Filii, æterni Spiritus sancti, in vera fide ardentibus votis, ac veris gemitibus, etiam atq; etiam vehementissimè orans omnipotentem, misericordem, ac clementem Deum: ut propter Filium suum, Jesum Christum, *μεσίτην, καὶ ἱκέτην* nostrum per Spiritum sanctum, mei huius quarti Rectoratus initium felix, feliciorum progressum, ac felicissimum exitum esse, patiatur; measq; omnes in eo cogitationes, meditationes, deliberationes, consultationes, universas deniq; actiones dirigat ad gloriam sanctissimi sui nominis, ad utilitatem veræ Ecclesiæ ad celebrationem illustrissimorum nostrorum Principum, Ducum Saxonix, ad incrementum huius Academiæ, ad emolumentum studiosæ juventutis, nec non ad salutem totius reipublicæ Christianæ, Amen.

**D**Einde, Patres Academici, Collegæ, Compatres, & amici charissimi, me ad vos converto; vosq; universos, & singulos, sicut etiam quinto Nonarum Julii factitatum, & promissum est, majorem in modum diligentissimè rogatos volo: ut, quem non ita pridem consentientibus suffragiis, unanimiter privatim elegistis, illum nunc publicè renunciatum, nè in posterum *ἀσύμβελον* deseratis; sed vestra clarissima autoritate, vestra eximia prudentia, vestris deniq;

fidelissimis consiliis assidue iuuetis, subleuetis, confirmetis. Quod ubi constanter feceritis, quomodo de vestra erga me singulari benevolentia, & propensa voluntate mihi optima quæque polliceor, me utique vobis perpetuo devinxeritis; atque de Republica literaria optime meriti fueritis. Ego vero, ubi, ut nullus dubito, deprehendero, me vestra ope adiutum esse, sedulo daturus sum operam: ut hoc beneficium semper prædicem, ac commendem.

Tum, vos quoque alloquor, nobiles, ac studiosi adolescentes; vosque, severe admonitos & si par est, magnoperè rogatos, volo: ut vestri memores officii, vestros mores secundum præscriptum verbi divini ita conformetis; quò vestra pietate, vestra diligentia, vestra obedientia, vestra modestia, & tranquillitate, vestris denique laude dignissimis, virtutibus, meos alias in hac administratione sustinendos, labores minores, & haud gravatè tolerabiliores reddatis; atque istum ad modum vestris studiis optime consulatis; nostræque civitati sitis ornamento, & emolumento.

Hæc, antequam ad rem ipsam accederem, præfari volui, ac debui: ut vos universi, ac singuli æquissimi auditores, intelligeretis; quanam occasione, quo animo, & quibus impulsoribus, hoc tempore in augustissimum hunc locum ascenderim.

Nunc, quod felix, & faustum jubeat esse Jesus Christus, nostræque Salanæ salutare, ac utile, accingam me ad eligendam idoneam aliquam materiam: quam in hac frequentissima corona cum fructu tractare, queam. Cogitanti autem mihi, quod nam genus causæ ex tanto rerum bonarum cumulo potissimum deligendum esset, in mentem mihi venere ista

argu-



argumenta: quæ superioribus Rectoratibus breviter explicaverim. Et quidem in accessione ad primum Rectoratum Calendis Augusti anni supra sesquimillesimum octuagesimi septimi disserui de disciplina in illustri Academia Jenensi: ubi inter cætera, observatione digna, ostendi, statuta, ab illustrissimis Principibus, Ducibus Saxoniae clementer concessa, & fluere ex Decalogo, ad eundem ritè posse reduci. Cùm autem isto magistratu abirem: ad octavum Februarii, anno à partu virginis 1588. egi de præcipuis Rectoris officiis. In secundo Rectoratu ad nonum Augusti anni 1593. orationem habui de personarum Academicarum officio. In eius depositione ad septimum Februarii anni 1594. orationem recitavi de disciplina tuenda, & conservanda in hac Academia: in qua diligenter suum faciant officium, Primum, Ministerium verbi, Magistratus Academicus, quæstorius, oppidanus, & Patresfamiliâs; Deinde studiosi, memores illorum quinque Capitum: in quæ, quàm primùm pedem in hanc universitatem posuerint, datis nominibus, religiosè juraverint. In tertio Rectoratu ad nonum Augusti anni 1599. dixi de causis recusati, & recepti tertii Rectoratus, atque de descriptione studiosorum Academiae Jenensis. In resignatione ad 19. Februarii anni 1600. Primum causas repetivi: cur tertius Rectoratus sit detrectatus, & susceptus, atque egi gratias Deo, Principibus, Professoribus; & Studiosis. Deinde prolixius renunciavi tunc temporis novum Rectorem, venerandum senem, Dn. D. Johannem Stromerum, facultatis juridicæ Ordinarium.

Consequens est: ut deinceps institutam orationem,

cohæ-

cohærentia haud inconuenienti inchoantem quartum  
Rectoratum. Quanquam autem integrum mihi est,  
ut, Horatii præcepto obsecutus:

Sumite materiam, vestris, qui scribitis, æquam,  
Viribus, &c.

Thema aliquod, declarandum, proponam, deprom-  
ptum, vel ex necessariis artibus, & utilibus linguis,  
vel ex articulis fidei, sive in thesi, & antithesi, sive hy-  
pothesi: tamen, ut hæc oratio à præcedentibus non  
multum discrepet, divino Spiritus Sancti auxilio  
adjutus, in timore Domini jam dicturus sum de  
*Illustrissimo Principe, ac Domino, Dn. JOHANNES  
WILHELMO, Duce Saxonie, Landgrafio Thuringie,  
& Marchione Misnie, &c. beatæ memoriæ.*

Quod equidem facturus sum has ob causas. Extant  
nunc, singulari Dei optimi maximi beneficio, vitæ  
trium illustrissimorum, ac laudatissimorum Saxo-  
niæ Ducum, ac Dominorum, FRIDERICI TER-  
TII, SAPIENTIS: JOHANNIS CONSTAN-  
TIS, & JOHANNIS FRIDERICI, Magnani-  
mi, conscriptæ, & editæ à reverendo, & clarissimo  
viro Dn. JOHANNES ROSINO, ministro verbi  
divini in templo Cathedrali apud Naumburgenses,  
Compatre, & amico meo charissimo. Hos jure se-  
quitur illustrissimus, ac pientissimus Princeps, Dn.  
JOHANNES WILHELMUS felicis recorda-  
tionis. Reverendus quidem, & clarissimus vir, Dn.  
D. Tilemanus Heshusius, collega meus olim charis-  
simus, mense Martio anni 1573, post honorificam  
illustrissimi Principis, ac Ducis, Dn. JOHANNIS  
WILHELMI, sanctæ memoriæ, sepulturam præ-  
claram orationem habebat funebrem de illustrissimæ

Celsi-

Celsitudinis ejus vita, gubernatione, & placido exitu.  
 Sed illa non est typis descripta: & propterea paucis  
 visa, à paucioribus lecta, à paucissimis observata.  
 Circa idem tempus justus Lipsius Iscanius nostrum  
 in facultate Philosophica, profitendo, Collegam age-  
 bat: qui & ipse de obitu prædicti illustrissimi Principis  
 orationem pronuntiabat. Sed ista postea à Typogra-  
 pho aliter est impressa: quàm ab eo, tunc temporis  
 Lutherano, ad. 19. Martii fuit recitata. Causam mu-  
 tationis facilè intelligunt pii, ac cordati viri: qui no-  
 verunt, Belgam istum inconstantem, cui omnes  
 religiones pari passu ambulant, in confessione semper  
 solitum fuisse *ἀποσέπειζεν*. Non desunt: qui arbitrentur,  
 JUSTUM, olim nostrum, in epistola, in scripta  
*Consulibus, & Senatui Imperiali Opidi Francofurtensis,*  
 alienum à sua modestia, & moribus injustè conqueri  
 de hac oratiuncula; in cujus mentionem jam oblata  
 occasione, incidimus. Sed nostrum multi, qui, Dei  
 beneficio, adhuc, cum alibi, tum Jenæ, vivimus, ac  
 docemus, certò scimus, illum orationem istam, de qua  
 ego loquor, de obitu nimirum illustrissimi Principis,  
 Dn. Johannis V Vilhelmi, post homines natos optimi,  
 in Academia Jenensi, reverà, quod negare non po-  
 test, & scripsisse, & dixisse, & divulgasse: præ-  
 sertim, cum res ipsa non dissideat, phrasis conveniat,  
 & facies tota scriptio. Sed meum non est, aspera,  
 & insultantia scribere, de istiusmodi potissimum au-  
 ctore: cujus, dum in Evangelicis vixit locis, ille fuit  
 sensus, Lutheranorum more, antiquare in religione,  
 & cum majoribus sapere; qui nobis sunt, post sanctos  
 Prophetas, Christum, & Apostolos, orthodoxi Pa-  
 tres, & testes veritatis: qui ante nostram ætatem

Celsi-

B

Ponti-



Pontifici Romano, ejusq̄ erroribus reclamârunt. Faxit misericors, ac clemens Deus, qui tamen contra conscientiam *ἐκ παρρησίας* non temerè est tentandus: ut hunc sensum nulla calumnia, aut vis Lipsio exuat, vel exurat. Quod si etiam nunc degat Lovanii, seu Romæ, ut aliqui putant, inter superstitiosos Papistas, ubi alia, falsa scilicet, de articulis fidei audit: non ideò animo sit alius à nobis. Sed, si quid in verbis, aut scriptis fortè aliud exciderit, ut nonnulla excidère: pœnitentiam olim talium agat; & præstet, quod sufficiat ad scriptiunculas istas omnes, quæ papatum redolent, una spongia eluendas.

Verùm enim verò, quia fortassis hæc quibusdam *παρηγορία*, aut *ἐτερογενεία* esse videbuntur: ideò, omis-  
sis illis, ac similibus, statim accedo ad alteram causam; propter quam, existimem, hoc tempore verba esse facienda de magnanimo nostro Heroe. Etenim ad septimum Julii anni superioris post horam XI. noctis, cum vixisset annos XL. menses II. dies XII. & horas totidem, magno cum Patriæ dolore, & desiderio, ex hac vita piè decessit illustrissimus Princeps, ac Dominus, Dn. FRIDERICUS WILHELMUS, &c. optimi, ac piissimi Parentis optimus, ac piissimus filius. Hujus illustrissimæ memoriæ circa idem fermè tempus nostri ordinis aliquot reverendi, ac industrii viri orationibus tam solutis, quàm ligatis, piæ observantiæ, sanctæq̄ memoriæ ergò, non sine lacrymis, parentaverunt: & hæc quasi debitæ gratitudinis justa persolverunt. In orationibus autem istis funebribus, & Epicediis semper quoq̄ mentio facta est illustrissimi, ac cellissimi Principis, Dn. JOHANNIS WILHELMI, tanquàm sanctissimi, atq̄ opti-  
mi Pa-

mi Patris. Quapropter partim officii ratio, partim series historiæ flagitat: ut, quia multi recentes huc confluxerunt, paulo amplius edisseramus; quis nam fuerit insignis iste heros; ex quo Dn. Fridericus V Wilhelmus, qui ante annum in Christo placidè obdormivit, originem traxerit.

Tertîa causa est: quamobrè jam commemorationem illustrissimî Principis, Dn. Johannis V Wilhelmi, repetendam, censuerim: quia firmissimè statuo, hunc Principem præcipuum, post Deum, hujus Academiae, in qua jam versamur, esse authorem, erectorem, Confirmatorem, promotorem, defensorem. Verùm quidè est, illustrissimum principem, ac Dominum, Dn. JOHANNEM FRIDERICUM Primum, cognomento MAGNANIMUM, Constantissimum Jesu Christi martyrem, beatæ memoriæ, prima hujus scholæ laudabiliter jecisse fundamenta: siquidè, postquam ditionem electoralem victori tradere coactus est, dilectissimis filiis suis, mirabiliter liberatus è quinquennali custodia, suasor & hortator fuit (quod etiam antea fecerat) ut in locum V Vittembergensis Academiae, quæ jam alieni juris facta erat, in Thuringia, & quidè Jenæ erigerent, ac fundarent novam: quæ cum primis officina esset veræ pietatis, & doctrinæ liberalis, atq; Ecclesiæ, Reiq; publicæ seminarium: quò incorruptæ religionis, & literarum studia in hac provincia florent, subditorum liberi rectè informarentur, bonis artibus, atq; linguis imbuerentur, ad omnes honestatis, pietatisq; partes, atq; adeò ad omnem usum Reipublicæ educarentur; quò apud omnes sua Deo constaret gloria, & Ecclesiæ incolumitas perpetua. Ean-

dem ob causam idem magnanimus Heros, & intrepidus Jesu Christi confessor, ac Martyr, postquam, propter plurimos labores, & maxima pericula, viribus corporis, & animæ prorsus debilitatus, ac fractus, sensit, & ex certis circumstantiis collegit, sibi, ab ingrato, & immundo Mundo satis, superq; vexato, propediem ex hac miseriarum valle in æternam migrandum esse vitam; testamento cavit, & brevi ante agonem, & pium ex hac terra discessum charissimis liberis suis denuò diligentissimè mandavit: ut tandem privilegia penitus impetrarent; & in Gymnasium Jenense feliciter introducerent. Huic severo mandato tres amantissimi, & conjunctissimi fratres, Duces Saxoniae, pro singulari sua erga tam sanctum, & præclarum opus benevolentia, & propensa voluntate, lubentes, ac læti morem gesserunt. Etenim Filius, optimus, medius inter Dn. Johannem Fridericum Secundum, & Dn. Johannem Fridericum Tertium, Dn. Johannes V Vilhelmus nimirum, anno supra sesquimillesium quinquagesimo tertio cum præcipuis consiliariis, se propterea Brúxellam in Brabantiam ad Carolum Quintum contulit, ab ejusq; Cæsarea Majestate, tanquam à summo in terris magistratu, submisit petiit privilegia: quæ quidem eo tempore non fuere denegata. Sed, quia negotium illud aliquantisper fuit dilatatum, ut solent divina negotia lente procedere: ideò idem illustrissimus, ac christianissimus Princeps anno 1557. eandem ob causam se Pragã ad Regem Romanorum Ferdinandum recepit, ibidemq; regiam ejus Majestatem de privilegiis iterum convenit: quæ mox communicata, Calendis Februarii anni 1558. decenti pompa introducta, & publicata sunt.

Quæ

Quæ præterea beneficia, maxima puta, benefactor iste, ad benefaciendum natus, in hanc Universitatem contulerit: postea, ubi temporis brevitatis permiserit, loco opportuno expositurus sum. Jam enim tantummodo post propositionem breviter enumerare volui tres causas: quæ me ad laudationem laudatissimi hujus Principis impulerunt.

Nunc auditores certiores facio, me in posterum Deo juvante, dicturum, *Primum de Principis nostri pientissimi Nativitate: Deinde de ejus vita: Tum de ejusdem exitu.*

Quod ad illa, quæ spectant ad Herois nostri natalitia, attinet; diligenter, quantum fieri poterit, inquirendum esse statuo, *Primò, quibus Parentibus sit prognatus. Deinde, quando editus sit in lucem. Tum ubi sit procreatus.*

Parentum nomine complector etiam ipsos Majores: à quibus Dux noster præstantissimus initium sumpserit. Profectò, quando accuratiùs historias, ut par est, evolvimus: deprehendimus utiq; in Europa nullam familiam extitisse celebriorem, & illustriorem domo Saxonica. Hæc est omnium antiquissima, & longè illustrissima prosapia: è qua, tanquam ex equo Trojano, innumeri celebres exiêre heroes; qui & armis dignitatem regni & virtute nomen sustinuerunt. Nam ex hac stirpe post Christum exhibitum sub initium aliquot reges, qui regnârunt in Saxonia, exorti sunt, utpote Sieghardus, qui difficilia bella gessit cum Dagoberto rege Franciæ: Diethericus, qui diu belligeravit cum Carolo Metello: VVernekinus Edelhardi, qui præliis decertavit cum Pipino,



rege Gallorum : frater VVittikindus magnus, qui cum summo illo, & maximo Imperatore Carolo Magno de Patriæ libertate multis annis dimicavit : & Christi religionem amplexus est. Hunc secutus est VVittikindus junior, Comes VVethini, & Soraborum, ad Salam, & Albin, Ditgremus, Ditmarus, Dietericus, Dedo, Dietericus II. Timo, Marchio Misniæ, Conradus, Otto dives, Dietericus IV, Henricus illustris, Marchio Misniæ, & Landgravius Thuringiæ primus in hac familia, Albertus, Fridericus Admorsus, qui post bella cum patre, Imperatore Adolpho, & Alberto gesta, urbes Imperii Aldeburgam, Cygnæam, & Chemnicium in compensationem damnorum, & expensarum retinuit. Fridericus Gravis Comitatum Orlamundensem, & Vinariam ditioni adjecit, electus Imperator. Fridericus strenuus, cum Coniuge Catharina Henrici Hennebergensis filia ditionem Coburgensem accepit, & Voitlandiam occupavit. Fridericus bellicosus, primus Saxonie Elector è Marchionum Misnensium, & Landgravorum Thuringiæ familia, adolescentiam omnem in castris egit : contra factionem conjuratorum, qui se Stellares nominârunt, ductu Burggravi Norinbergici, militavit in Francia; Pro nominis Christi propagatione cum Conrado, Ordinis Teutonici Magistro, in Borussia : cum VVilhelmo, patruo, Pragam obsedit in Boemia. Domi rebus non satis pacatis in Thuringia, comites aliquot, licentia insolentes, compescuit, Schwartzburgium, Helderungensem, Hohensteinium. In Misnia Apollonium Vice-  
thumum arce Cribsteino ad Muldam ejecit : Comitem Reinsteinium, Cervecii captum, Nicolao, præ-



suli Mersburgio, vincetum tradidit, Bernhardum Anhaltinum pecunia mulctavit: Dietericum Quite Zanam fortunis exiit. De Republica optimè ultra annos 25. meritus est, resistendo Bohemis: quos, Sigismundo, Imperatori, rebelles ad Brixiam superavit, arcemq; Carolsteinum obsidione liberavit. Hac de causa Imperator Sigismundus, tribus competitoribus rejectis, nomen, dignitatemq; Electoris, cum summa virtutum ipsius testificatione, ei tribuit. Præter virtutes bellicas, præclarè quoq; meritus est de studiis literarum, Academia Pragense Lipsiam suscepta: atq; ita Lipsensem Academiam anno 1409, condidit, ac confirmavit. FRIDERICUS Secundus, cognomine Placidus, fratrem Sigismundum, Episcopum VVirtzburgensem, adversus Francorum molitiones fortiter defendit: Boemorum impetus in Misniam compescuit: Bellum, quod Friderico, Magdeburgensium Episcopo, inferre voluit, intermisit, non oppugnandum, putans illum: qui solius Dei protectioni se commendaret. Cum fratre VVilhelmo in divisione hæreditatis certamen longum, ac difficile expertus est: quod tamen tandem placidè compositum est. ERNESTUS, qui ætatis anno 14. Christi 1455. cum fratre Alberto ex arce Aldenburgensi raptus est, bella gessit, memorabilia quidè: sed nihil refertur laudabilius; quàm quòd unà cum Johanne, Marchione Brandenburgensi, tres reges potentes, Casimirum Poloniae, Ladislaum Boemiae, & Matthiam Ungariae, Germaniae imminentes, sapientia; & comitate magis, quàm armis, repulit; & à Matthia Ungaro Saganensem Ducatum in Silesia, propter, fideliter navatam, operam, obtinuit. Ecclesiae

Misnen-

Misnensis reditus, constitutis aliquot Sacellanis, & vicariis, ex pia devotione auxit. FRIDERICUS Tertius, cognomento Sapiens, qui duos habuit fratres Electores, Johannem, Albertum, Antistitem Moguntinum, & tertium Ernestum Archiepiscopum Magdeburgensem, summa fuit pietate, *Primum erga Deum: Deinde erga Patriam, & supremum Magistratum: Tum erga Fratres: Postremò erga subditos.* Anno supra millesimum quingentesimum secundo Academiam V Vittembergæ instituit, accersitis præclaris, & industriis viris Martino Luthero ex Cœnobio Augustiniano apud Erphordenses, Philippo Melanchthone ex schola Tubingensi. Horum virorum, sicut & aliorum, qui eò vocati sunt, summa diligentia, & immensis laboribus, cum vera, & antiqua de Deo & salute hominum doctrina, tum Philosophiæ, artium, & literarum omnium elegantia, cum præcipuarum Linguarum studiis, maximo Dei beneficio, non solum in Saxonia, & Germania, verumetiam in aliquot vicinis regnis instaurata, & propagata est. Sub hujus sapientissimi, ac piissimi Electoris patrocinio Ecclesia primùm ministerio divi Lutheri, Antichristicidæ, reformari, ac repurgari cœpit à sordibus, & idolomania papistica. Postea successores, ex hoc stemmate oriundi, semper laude sinceræ confessionis, ac Zelo veræ pietatis floruerunt, & claruerunt. JOHANNES, à perseverantia in religione repurgata Constans appellatus, studiosissimus fuit, & amantissimus doctrinæ puræ, & incorruptæ. Quod eximium studium, cum aliis certissimis documentis testatum reliquit, tum frequenti sacrarum concionum auditione: quas non rarò integras & penè ad verbum

in pa-

in palimpsestis manu sua excipere consuevisse, dicitur. In primis scripta, ab orthodoxo Luthero divulgata, summa diligentia evolvit, contemptis adversariorum iniquis judiciis. Deum verum ex toto corde dilexit: eiq; aperuit portas terrarum, sibi subjectarum, & aditum in easdem glorioso regi patefecit, præbuit Ecclesiæ hospitium, sanam fovit religionem, in eaq; subditos quoque rectè informandos curavit. Præcipuè egregia, & luculenta veræ pietatis edidit testimonia in duobus Ordinibus, ac statuum Romani Imperii conventibus Spirensibus, ac celeberrimis Comitibus Augustanis: in quibus anno 1530. ad XXV. mensis Junii Carolo Quinto Protestantium Confessionem cordatus exhibuit: in qua, quamdiu in terris vixit, constanter permansit. Et sicut, à Pontificiorum idololatria sese toto pectore abhorrere declaravit: ita Anabaptistarum quoq; blasphemias, & Sacramentariarum corruptelas sibi vehementer displicere, apertè fassus est. Hi præcipui fuere Majores: à quibus Dux noster Dn. Johannes V Vilhelmus, originem accepit. Possem de nobilissimæ istius familiarum splendore, ac dignitate multa, & fortassis haud ingrata, in medium afferre: sed, quia locus hic uberiores hujus Genealogiæ tractationem non admittit; de proximis duntaxat Parentibus adhuc aliquid commemorabo. Nam, cum sæpe aliqua similitudo, ut corporum, ita ingeniorum quoq; in sobolem propagetur, de natis crebrò ex parentum naturis, & moribus iudicium ferri solet. Quod veritati adeò consentaneum est: ut Horatianum illud in quarto libro Carminum, Ode 4. Lippis, & Tonsoribus notum, in omnium ore versetur:

C

Fortes

*Fortes creantur fortibus, & bonis;  
Est in juvenis, est in equis patrum  
Virtus; nec imbellem feroces  
Progenerant aquila Columbam.*

Ei Pater fuit JOHANNES FRIDERICUS, Magnanimus, & invictus in agnita veritate. Quem admodum enim in teneris annis consueverat: ita etiam in ætate proveciore, cum jam ad gubernacula rerum sederet, verbum Dei purum in summo honore, ac pretio habuit. Ecclesiarum, & scholarum maximam suscepit curam; summamque adhibuit diligentiam; ut subditi salutari verbi divini incorrupti doctrina pascerentur, & fideles ejus præcones liberaliter, ac honestè alerentur; quibus honesta decrevit, ac constituit salaria. Quamobrè reverendus vir, Dn. D. Martinus Lutherus, non dubitavit affirmare, hunc illustrissimum Principem, Electorem, unicum ferè, & solum esse defensorem, ac nutritorem pastorum Ecclesiæ: qui ausit ecclesiastica bona iis conferre, quibus jure deberentur, ministris scilicet verbi divini. Ut summatim dicam, Johannes Fridericus invictæ fidei confessor, ac martyr, in semel suscepto veritatis cœlestis patrocinio fortiter, ac constanter perstitit, neque unquam animo in vera confessione, ejusque tutela fluctuandum, ac nè momento quidem ab ea declinandum, putavit: quin potius omni asseveratione confirmavit, malle se corpus morti objicere, & stolam suam in sanguine agni lavare, quam doctrinæ aliquam corruptelam amplecti, aut in eam quoquo modo consentire, aut conscientiam suam concessione vel minima vulnerare: ut meritò de eo dici possit, quod alicubi scribit Cyprianus, non animum

marty-

martyrio, sed martyrium animo defuisse. Sed, si quis integram hujus Herois descriptionem desiderat, legat eruditam, & piam orationem reverendi & clarissimi viri, Dn. Johannis Rosini: qui totam istam narrationem in tria capita partitus est. Nam in primo Capite egit de hujus Principis natalibus, educatione, studiis juventutis, ac de omni ejus privata vita eo tempore, quo illustris Pater adhuc superstes fuit. In altero capite illius temporis historiam persecutus est: quo, Patre ex hac mortali vita evocato, gubernacula tenuit usque ad infelix illud bellum, quod Smalcaldicum dicitur. In tertio de ejus captivitate disseruit, qualem se in ea præstiterit, qua ratione, benigna Dei voluntate ex ea liberatus fuerit; & tandem, quomodo in his terris vitam suam finiverit. Matrem habuit optimam, & sanctissimam, SIBYLLAM, filiam Johannis, Ducis Clivensis, foeminam pientissimam, ac prudentissimam: quæ ad vicesimum primum mensis Februarii anno M. D. LIV. Vinarix, ex hac miseriarum valle in coelestem migravit vitam.

*Sed genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra vocat, Victor sacundus Ulysses.*

Vera quoque sunt ista, quæ prudenter inculcat Juvenalis Satyra octava:

*Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo  
Sanguine censer, pictosque ostendere vultus  
Majorum? & stantes in curribus Emilianos?  
Tota licet veteres exornent undique cera  
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.*

Hunc ad modum non est necesse: ut prolixior sim in celebrando illustri stemmate majorum; quo ortus est inclytus noster Dux Saxonix. Propriis enim

ornamentis adeò splendet, ut aliena decora, & laudes hîc vix locum obtinere videantur. Tanta enim est ejus virtutum multitudo, & magnitudo: ut, quando per eas singulas oculos circumfero, dubitem; quomodo in iis non initium, sed exitum reperire, queam.

Natus est illustrissimus, ac pientissimus noster Princeps, omine, reverâ fausto, eo ipso anno, trigésimo videlicet, quo scripta, & exhibita est, totumq; imperium Romanum, nec non multa vicina regna, regiones, ac Civitates splendore suo illustravit, orthodoxa, sincera, & nunquam satis laudata, Confessio Augustana, articulos fidei controversos mira brevitate, ac perspicuitate complectens. Persuasum habeo, sapientissimum Deum hoc nativitatîs tempore significare, voluisse, hunc Principem acrem, & constantem assertorem fore doctrinæ incorruptæ, confessione Augustana comprehensæ: quemadmodum ei ab incunte ætate ad ultimum usq; agonem addictissimus mansit. Mense genitus fuit Martio: quo etiam, quod & ipsum ominosum est, vitam cum morte commutavit. De die ambigunt historici. D. Paulus Eberus in Calendario ponit undecimi Martii horam dimidiam post tertiam matutinam. Hunc secuti sunt D. Johannes Garcæus, Laurentius Faustus, D. Christophorus Morold, Augustinus Brunius, Abrahamus Bucholtzerus, Michael Boiemus, qui eandem tenet sententiam: addit Patrem ejus clarissimum, Dn. Johannem Fridericum scilicet, eodem die literis Caroli Quinti, Cæsaris, vocatum esse Augustam, ad celeberrimum istum Imperii Romani conventum. Reverendus verò, ac de vera Ecclesia, benè meritus vir, Dn. Bartholomæus Gernhardus, qui aliquot an-

nis

nis illustrissimo nostro Principi à sacris fuit concioni-  
bus, & procul dubio diligenter percunctatus est, me-  
minit in concione funebri tertii diei; quod iterum non  
caret omine: præsertim cum tempus nativitatis cum  
tempore obitus consentiat. Idem testatur M. Ada-  
mus Rempius in Calendario historico Thuringico:  
qui allegat Epitaphium; quod extat Vinariæ in tem-  
plo Civitatis. De loco nativitatis nihil reperio anno-  
tatum; nisi, quod D. Eberus referat, illum situm esse  
sub elevatione poli 52. Non dissentio ab illis: qui ar-  
bitrantur, illustrissimam, & pientissimam matrem  
eum in arce Torgensi enixam esse.

Sed accedo nunc ad ejus vitam, tam privatam,  
quam publicam. Privatam nuncupo: quam traduxit  
ante gubernationem. Atque in ea breviter differam  
de ejus EDUCATIONE, MORIBUS, VITÆ  
GENERE.

Quamprimùm per baptismum, & fidem insertus  
est veræ Ecclesiæ: statim Christianissimi parentes,  
cum educârunt *εν παιδεία καὶ νομοθεσίᾳ κυρίου*, in disci-  
plina, & correptione Domini. Postquam autem ido-  
neus visus est ad capescenda literarum studia: traditus  
est in disciplinam, non illiterato, & ignavo, sed lite-  
ratissimo, religiosissimo, ac diligentissimo viro, Dn.  
Doctore Basilio Monnero. Nam proprio suo exem-  
plo didicit optimus parens: quantum situm sit in fide-  
li præceptore. Illustrissimus Princeps, Dn. Johannes  
Fridericus, Elector, primùm usus est Magistro, Ge-  
orgio Spalatino, viro reformatæ religionis, multa-  
rum artium, & historiarum peritissimo meo dilectis-  
simo Profocero, eo autem ad munus aliud vocato,  
postea Magistrum Colditium nactus est: quem ta-

men non admodum bene de se fuisse meritum, ipse tandem Princeps questus est; vehementerque doluit, non licuisse sibi diutius institutione Georgii Spalatini uti: sub quo magnos in studiis progressus facturum se fuisse, non dubitavit, affirmare. Sic, ut piscator ictus, sapuit: ac propterea filios suos illustres, Johannem Fridericum Secundum, Johannem V Vilhelmum, postea etiam Johannem Fridericum Tertium, a primis annis ad studia pietatis, ac bonarum literarum adhibuit; eosque a doctissimo viro, Dn. D. Basilio Monnero, ut antea indicavi, initio privatim Torgæ instituendos curavit, in studiis, cum pietatis, tum humanitatis. Fuit præceptor iste studiosissimus, ac amantissimus doctrinæ sinceræ & Lutheranae: quomodò documento sunt, non tantum ejus eruditi libri, quos edidit; verum etiam, præter viva, fide digna, testimonia, scriptiones nonnullæ, quæ passim reperiuntur. Ante quosdam annos fato quodam emi Postillam domesticam divi Lutheri, hinc impressam per Christiani Roedingeri hæredes, anno M. D. LIX. quam totam prædictus Doctor diligentissimè perlegit, & multis annotationibus marginalibus illustravit: quibus aliquoties *ιδιογράφω* suo expressè testificatur, se non tantum in thesi rectè sentire de universis, ac singulis doctrinæ Christianæ capitibus, secundum orthodoxam, & sanam explicationem Germaniæ nostræ Prophetæ: verum etiam, se è contrario in antithesi prorsus abhorrere ab omnibus falsariis, ac in specie, ut subinde sonant ejus verba formalia, à Synergistis, Antinomis, Osiandristis, Majoristis, Interimistis, Adiaphoristis, Sacramentariis, Calvinistis. A tam pio præceptore pius discipulus Johan-

nes



nes V Vilhelmus Argeliis veram percepit pietatem, & partes Catechismi Lutherani. Ab eodem didicit quoque bonas literas. Quanquam enim multas lubricas vias, primæ ejus ætati natura ipsa proposuit; multaque blandimenta aula, & fortuna illustrior subministrarunt, quibus capi, & irretiri etiam ætas corroborata solet: tamen, tam prudentem, & honestum adolescentem, neque natura flectere ad voluptatem, neque aula detorquere ad luxum potuit. Siquidem ille hoc animi robore præditus fuit: ut cum labor potius; quam lascivia, literæ, quam libido delectarent. Non autem tantum domi inter privatos parietes informatus est Dux Johannes V Vilhelmus: sed cum eodem fidelissimo præceptore missus quoque est V Vittembergam ad Academiam: in qua cum primis pietati operam dedit, doctrinam Catechismi assidue exercuit, & solida articulorum fidei fundamenta inquisivit in sacris literis, unica rerum theologicarum norma & forma. Tempora precepcionum singulis diebus diligentissimè observavit: ac quotidie se, Ecclesiam, & familiam suam ardentissimis votis commendavit, Deo, & Domino nostro Jesu Christo. Singulis porro diebus unam Catecheseos partem recitavit ac repetivit. Unde tandem sæpe testari solitus est, se Catechismo, veluti clypeo, contra errorum præstigias munitum fuisse. D. Martinum Lutherum insuper singulare Spiritus Sancti organum, non solum concionantem, sed etiam in schola prælegentem, sæpissimè audivit. Quocircà temporis progressu sæpenumerò in mensa vel familiari colloquio recitare solitus est: quæ ex ore sancti Lutheri audivisset. Et si autem, ut par fuit, plurimi fecit Martinum Lutherum,

rum, tanquàm salutare Dei organum, cuius fideli ministerio clara Evangelii lux restituta est Mundo; non tamen ab humana authoritate pependit in controversiis religionis: Sed fontes Israelis consuluit, ac scripta Prophetica, & Apostolica diligenter evoluit. Nec obiter tantùm sacram inspexit scripturam: sed magna attentione expendit testimonia Spiritus Sancti insignia; atq; consolationis plena, dicta memoriæ mandavit. Ad hæc quantos progressus in literis fecerit nobilissimus juvenis; testis est illa elegans oratio: quam generosus noster Princeps V Vittenbergæ, natus annos 13. ad 29. Aprilis anno 1543. publicè præsentis animo in frequentissimo auditorio, præsentibus, præter illustrissimum Principem, Parentem, & Academiæ Professores, multis aliis illustrissimis Principibus, Comitibus, Nobilibus, ac studiosis, cum summa omnium admiratione recitavit. Divus Lutherus in præfatione in hanc, & alteram orationem, evulgata anno 1543. Vidimus, inquit, & audivimus his diebus singulare, & apud Germanos inusitatum exemplum: quòd duo fratres, alter tertium decimum, alter quartum decimum annum ingressus, ac penè (ut dicitur) infantes, habuerunt duas orationes Latinas contiguas, coràm tota hac Universitate. Et hi fratres, non infimæ, nec mediocris, sed summæ nobilitatis, puta, summo, clarissimoq; loco nati nempe filii illustrissimi Principis nostri, & domini, D. Johannis Frederici, Ducis Saxonix, Electoris, &c. omnium studiorum, artium, & virtutum patroni clementissimi: qui & ipse cum aliquot aliis Principibus unâ præsens audiebat, magno (ut credere, par fuit, & satis apparerebat) gaudio, scilicet Pater filios suos ea ætate tam feliciter

feliciter, idq; brevi tempore in literis profecisse. Ego sanè inter cæteros admirabar vehementer, non solum istam animi magnitudinem in pueris: qua in tali, ac tanto coetu, nihil territi, latinè, & dexterrimè perorabant, sed etiam tam purè tam graviter, tam distinctè ac ferè memoriter, quasi ex tempore dicerent, omnia pronuntiabant. Simul succurrebat recordatio temporis paulò superioris: in quo non invenisses ex omni (quod dicitur) multitudine Ecclesiastica, Pontificum etiam Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, addo, Doctorum, & quicumq; voluissent deniq; audire doctissimi inter eos, qui tale aliquid præstare potuisset. Certè magnum decus, magnamq; gloriam literæ, utut sint apud alios magnates, & proceres contemptæ, in istis clarissimis, & illustrissimis Principibus consecutæ sunt, nec minore gloria ipsæ vicissim Principes tantos ornaverunt. Hic videas, quid sit, quantumq; valeat bona institutio, præsertim, si contingat (ut hic) natura formabilis, & ingenium idoneum. Qua in re optimi Parentis, & illustrissimi Principis consilium, & voluntas, mirificè extollenda sunt: qui filios suos non vulgari more principū & nobilitatis dilexerit, id est, otio & ignorantia negligi, passus sit. Sed omni studio & cura eos rectè institui, & erudiri, curavit: ut essent, non tantum sanguinis genere clarissimi; sed & literis, ingeniiq; cultu cunctis nationibus admirabiles. Integram præfationem, qui vult, legere potest in Tomo quarto Jenensi Latino. Argumentum porrò orationis istius fuit de Georgio, equite, opem ferente, elegantissimæ virgini contra immanitatem Draconis. Procul dubio sapientissimus Deus illa ipsa oratiuncula significavit, hunc Princi-

D

pem

pem suo tempore fore pium Georgium, hoc est, terræ cultorem; qui heroico animo suscepturus esset patrocinium afflictissimæ Ecclesiæ, pudicissimæ virginis. Si quis legerit illam oratiunculam inclyti Ducis Johannis V Vilhelmi, quæ extat; eamq; contulerit cum ejus gubernatione: facilè videbit, adolescentem Principem generoso spiritu de semetipso vaticinatum esse. Hoc autem bonæ indolis, ac liberalis eruditionis specimen ostendit, illum non solùm Latinum sermonem intellexisse: sed mentis quoq; suæ cogitata Latinis verbis, & quidè oratione continua exprimere, potuisse: quomodò non desunt; qui celsitudinem ejus cum Legatis regis Gallorum, & aliis Latinè loquentem, & quidè commodo genere sermonis, audiverint. Ad unguem etiam Gallicam calluit Linguam. Præterea principia juris non tantùm audivit, ac tenuit: verùm etiam illa in negotiis civilibus rectè usurpare, novit. Hæc, & similia dona, post Deum, quem verè coluit, ei conciliavit, tum naturæ ipsius indoles divina, tum piæ, sanctæq; educationis cura diligens, & præclara, non solùm domi in schola Matris Sibyllæ, inclytæ Heroinæ, & Principis sanctæ, quam ipse vivum, & domesticum omnium virtutum exemplar habuit: verùm etiam in publica disciplina Academica: in qua ipse, vera, solidaq; Dei cognitione edoctus, multa, eaq; præclara in prima statim adolescentia edidit tyrocinia, cum aliarum virtutum præstantissimarum, tum verò in primis scientiæ illius divinæ, quæ Theologia nuncupatur.

Sed de moribus, ac virtutibus, quibus præditus fuit, nunc dicturus sum, & quidè secundum ordinem Decalogi in Catechismo: quem illustrissimus

Prin-

Princeps noster in loco, precationibus destinato, cum Psalterio Davidis, semper habuit ad manum. Reverendus vir, Dn. M. Bartholomæus Rosinus, olim vigilantissimus Superintendens Vinariensis, & postea constantissimus exul Christi, qui ejus aliquot annis egit Confessionarium, cum appellat sanctum Dei templum: in quo multæ excellentes, eademq; spirituales virtutes, luxerint. In prima Decalogi tabula veram veri Dei, unius in essentia, & trini in personis, habuit notitiam: in hunc firmissimè credidit: hunc verè dilexit, ac timuit; seq; ei vera humilitate, patiëntia, & perseverantia subjecit. Eundè Deum semper ardētibus votis, ac veris gemitibus in vera fide invocavit: hunc prædicavit, & confessus est coram toto Mundo. Verbum Dei in publicis concionibus libenter, ac frequenter audivit; & in Sacramento altaris sæpe sub elementis ordinatis accepit verum corpus, & verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Sic optimè affectus fuit erga utrumq; verbum, invisibile nimirum, in universa scriptura sacra, & visibile in Sacramentis. Hoc, quod jam prolaturus sum, æterna memoria, insigni laude, & imitatione dignissimum est: Inclytus hic heros, & sanctus Saxoniae Dux, Dn. JOHANNES WILHELMUS, integra Biblia decies perlegit, ac repetivit: & ultima vice pervenit ad Epistolam Pauli ad Timotheum: cujus lectionem interrupit, ac impedivit gravis, & periculosus, in quem tandem incidit, morbus. O præclarum pietatis exemplum, O sanctum studium, Principe dignissimum, O egregium veri timoris divini documentum. Utinam Principes, Comites, Barones, & Nobiles, imò omnes pii laudabile hoc exemplum imitarentur, Quod si facerent,

absq̃ omni dubitatione meliùs fidei articulos intelligerent, rectiùs de controversiis dogmatũ pronuntiant: & quisq̃ in vocatione sua majore frueretur felicitate. Quod tempus pleriq̃ principes tribuunt venationibus, aleis, intempestivis conviviis, poculis, & rebus Ludicris: hoc sanctus noster Dux lectioni tribuebat scripturæ sacræ: ita, ut non solùm sui ordinis homines, sed etiam verbi ministros, & quidem, non socordes tantùm, qui parùm pensi habent, quid sui sit muneris; verùm etiam pastores doctos, & bonos crebra, & assidua Lectionis Bibliorum repetitione superaret. Insignia scripturæ dicta familiarissimè ipsi erant nota: quæ quidè in unum acervum collecta habebat opera viri optimi, ac præstantissimi, Dn. D. Johannis Pontani, Medici excellentissimi, felicitis memoriæ: cujus piis colloquiis mirificè delectabatur. Non enim erat homo levis, scurra, circumforaneus, & circulator, quales hoc seculo sunt Paracelsistæ, & monstrosi monstroso nomine spagiri, nec non pleriq̃ Theophrastei isti novi; qui fumos vendunt, incautos naso suspendunt, opium pro apio propinant, & splendè mentiendo, multos decipiunt. Talis, inquam, non erat Doctor Johannes Pontanus; qui cum illustrissimo suo Principe, profectus in Austriam ad Cæsarem Maximilianum secundum, Viennæ obiit: sed sectando Hippocratem, & Galenum, medicinam adhibebat tempestivam; & multos ægrotos, præsertim in aula, felicissimè curabat. Reverendus, & clarissimus vir, Dn. D. Tilemanus Heshusius, Collega olim meus, & amicus charissimus, anno septuagesimo secundo referebat; Lutetiæ Parisiorum D. Pontanum in tanta fuisse autoritate: ut, quando nominatus fuit

Germa-

Germanus, statim intellectus fuerit Pontanus: quomodo V Vittenbergenses, quando nominarunt Doctorem, intellexerunt Lutherum, & quando hoc tempore memores sumus senioris Electoris, desß Alten Churfürsten / putamus Johannem Fridericum, Magnanimum, Dn. Johannis V Vilhelmi sanctissimum, atq; optimum Parentem. Sed, ut redeam eò, unde digressus sum, inter omnia scripturæ dicta, è sacrosanctis Bibliis collecta, Princeps noster religiosissimus, maximè amabat dictum Jesu Christi salvatoris nostri, Johan. 3. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.* Hoc dictum illustrissimæ Principi foeminae, Dominae Dorotheæ Susannæ, Conjugi suæ fidissimæ, in plurimis libellis manu sua notavit: quod ipsa Princeps foemina Domina quondam nostra clementissima in ipso agone amantissimi Conjugis Theologis, fide dignissimis, narravit. Idem dictum olim Fridericus, Sapiens, Dn. Spalatinum, Profocerum meum charissimum, grandiusculis literis jussit in charta scribere: ut id semper in conspectu haberet, ejusq; crebra lectione, ac repetitione se confirmaret. In eadem dulcissima Christi sententia illustrissimus, ac constantissimus Princeps, Dn. Johannes Fridericus, Parens, ad tertium Martii anni 1554. implorata Dei misericordia, placidissimè obdormivit, & ex hac ærumnosa vita in coelestem emigravit patriam. Ad hæc, præter scripta Prophetica, & Apostolica, quæ Princeps noster scivit, esse unicam regulam, & normam, juxta quam omnia dogmata, tanquàm ad Lydium lapidem, sint examinanda, pro compendiaría hypotyposi amplexus est

tria approbata Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum: Minorem, ac Majorem Catechismos divi Lutheri: Confessionem Augustanam, invariata, ejusq; Apologiam, Articulos Smalcaldicos, Confessionem statuum Düringicorum, adversus librum Augustanum Interim exhibitam in Comitibus provincialibus Vinariæ anno 1549. & Confutationes errorum, editas anno 1559. Scripta insuper omnia divini Lutheri tanti fecit: ut ea, elegantissimè exornata, in Musæo suo semper ad manum haberet: & sæpe aliquot horas in lectione illorum consumpserit, eaq; thesaurum suum vocaverit. Ex ore Cellitudinis ejus auditum est: quòd cum non haberet pro Theologo; qui opera Lutheri non perlegisset. Præterea cane pejus, & angue oderat errores Papistarum, Arianorum, Schueneckfeldianorum, Antinomorum, Anabaptistarum, Calvinistarum, Synergistarum, Majoristarum, Adiaphoristarum. E contrario non dici potest: quantam reverentiam exhibuerit cum ministris Ecclesiarum, & scholarum, tum universis, ac singulis Academiae Professoribus: quos quacuncq; oblata occasione, salutandos, & juvandos, curabat. Imò cum illis non rarò colloquebatur; & quærebat sollicitè: qualisnam esset status, tam publicus, quàm privatus. Stipendia Doctoribus in templis, ac scholis constituebat honesta: quibus se, suosq; sine ulla difficultate sustentare possent. Ita passim reliquit multa, & manifesta vestigia insignis suæ pietatis erga Deum, ejus verbum, & sanctum ministerium.

In secunda Decalogi tabula non minus, gubernatus à Spiritu Sancto, omnibus contendebat nervis: ut præstaret virtutes, consentaneas legibus; quibus

haud



haud invitus obsequabatur; suumque cuique tribuebat:  
 & vitata πολυπραγμοσύνη, labores, vocationi conve-  
 nientes, lubens sustinebat. Charissimis, & clarissi-  
 mis Parentibus, quamdiu in vivis fuerunt, semper  
 maximum defererebat honorem. Cæsaream Majesta-  
 tem, ut supremum Magistratum, reverenter, ac de-  
 bita subiectione colebat: quæ in tanto Principe neces-  
 saria, & magna virtus est. Neque ignoramus, propter  
 virtutem, modestiam, & studium justitiæ, & pacis  
 hunc excellentem Principem charum fuisse invictis-  
 simo Imperatori, Maximiliano Secundo. In Comi-  
 tiis Spirensibus Anno 1570. cum intelligeret, Ele-  
 ctiores, & Principes Germaniæ apud clementissimum  
 Cæsarem intercedere pro Captivi Fratris, Illustris-  
 simi Principis, ac Domini, Dn. Johannis Friderici  
 Secundi Filiis, & eorum petere restitutionem, Etsi,  
 Cæsareæ Majestatis, & totius Imperii decreto, &  
 autoritate noster Heros, institutus, & confirmatus  
 Dominus harum regionum, non poterat cogi ad divi-  
 sionem: tantam tamen φιλοσοφίαν in pectore ejus ac-  
 cendit Spiritus Sanctus; ut jure suo sponte cesserit; &  
 nepotes suos ad hæreditatem omnium harum regio-  
 num admiserit. O rarum, sed laudabile, & æterna  
 memoria dignum, exemplum. Haud dubiè univer-  
 sa posteritas insignem hanc virtutem semper admira-  
 bitur, & palàm prædicabit. Cum annum ætatis age-  
 ret tricesimum, animum adjecit ad Conjugium: ac  
 Celsitudini ipsius desponsata fuit nobilissima, & castis-  
 sima virgo, filia illustrissimi Principis, & Electoris,  
 Domini Friderici, Comitis Palatini ad Rhenum &  
 Ducis Baviariæ, nomine DOROTHEA SUSAN-  
 NA, quam dilexit ardentissimè: & cum qua usque ad

extre-

extremum vitæ halitum piè, & sanctè vixit. Ipso nuptiarum tempore, scilicet ad decimum quintum Junii anni 1560. & pietas, & constantia nostri Principis insigni exemplo eluxit. Cùm enim sciret, ministros verbi in aula, & Ecclesia Heidelbergensi infectos esse Calvinismo, hoc est, perperam sentire, cùm de aliis articulis, tum de præsentia corporis, & sanguinis Jesu Christi in sacra coena, noluit benedictionem, qua novorum Conjugum matrimonium coram Ecclesia stabiliri solet, recitari per ministrum, de Calvinismo suspectum: Sed ejus ministri benedictione copulari, voluit; qui in confessione purus, ac sincerus esset: nè ulli suspensionem moveret, quasi ad Calvinismum inclinaret, aut cum Calvinistis colluderet. Adeò constans fuit in hac pia sententiâ: ut maluerit in indignationem Soceri, Electoris Palatini, quem tamen, ut Parentem, & colebat, & venerabatur, aliquo modo incurrere, & de nobilissima, & charissima Sponsa periclitari, quàm, à semel pia concepta sententiâ discedere. Nostra ætate, proh dolor, multi reperiuntur: qui in gratiam Sponsarum, non tantùm ad Sacramentarios, verùm etiam ad superstitiosos Pontificios degenerant. Liberos porrò ex lectissima, & sanctissima Uxore, quos in vera pietate educandos curavit, suscepit quatuor, Duos filios, Dn. Fridericum V Vilhelmum, & Dn. Johannem, adhuc superstitem: totidem filias, Sibyllam Mariam, quæ 20. Februarii anno 1569. obiit Altenburgi, & Mariam, jam Abbatissam Quedlingensem. Filium, natu majorem, insistens vestigiis sanctissimi avi, & amicissimi Patris, cum primis in sincera religione institui, voluit. Quapropter vivus eum erudiendum tradidit, Primum

Litera-

Literatissimo viro, Dn. Heinricho Sibero, Adami fratri, Deinde D. Casparo Melissandro. Qua verò diligentia, & fidelitate utrumque filium cum dilectissima Sorore, post obitum informari, ac educari, cupiverit: præscribit Testamentum; quod posteris servandum reliquit. Quanquam autem noster hic fortissimus heros non vulgari fortitudine, & animi magnitudine præditus fuit; & propterea, tanquam exercitatus miles, novit; qua ratione hostes essent reprimendi, ac pericula depellenda: tamen, memor mandati divini de ira frenanda, non fuit cupidus vindictæ: sed heroico animo condonavit injurias; easque ad Deum, vindicem justum, retulit: atque sæpe è scriptura dixit, se mansuetudine, ac patientia carbones ignis in inimicorum capita coacervare. Paucis diebus ante pium ex hac ærumnosa vita discessum inter vomitandum in hæc erupit verba: Non est mirum, me multa evomere: siquidem longo temporis spatio multas devoravi injurias, multasque deglutivi molestias; quas, jam me vicissim evomere, necessum est. Temperanter admodum vixit, ac sobriè, infensus iis: qui, non observata mediocritate in cibo, & potu, poculis certare solebant. Adhibuit præterea munditiem animæ & corporis, cum voluntate Dei congruentem, tam in vitæ cælibe, quam in Conjugio, fugiens, cum ipsam turpitudinem, tum ejus occasiones. Optimè enim noverat illud, quod legitur apud Augustinum de Temperantia, Serm. 77. Temperantia amica virginitatis est: inimica Lasciviæ. Saturitas verò castitatem prodit: nutrit illecebram. Ad hæc studiosissimus fuit justitiæ, & æquitatis. Quamvis autem probè intellexerit, rem familiarem conservari diligentia, & parsi-

E

monia,

monia, iisdem etiam rebus augeri: non tamen alienus fuit à liberalitate, ac beneficentia: sed facultates, & operas suas libenter aliis communicavit. In primis hospitibus peregrinis, & propter pietatem exulantibus, jus hospitii candidè impertivit, prosecutus eos omnibus officiis hospitalitatis, & charitatis Christianae respondentibus. Si qua Ecclesiae tempora incidere iniquiora, aut difficiliora: sanè Princeps hic noster hospes piorum & propugnator perpetuus extitit. Summa fide, & benevolentia prosecutus est illustris quosdam fortunæ homines: qui ob veritatis confessionem expulsi, portum hinc, atq; perfugium invenerunt: quibus ipse periculosissimis eorum temporibus consilio, auxilioq; præstò fuit; eosq; contra vim hostium, atq; injuriam fortiter protexit. Multos, religionis causa exules, & homines doctos excepit hospitio; rebusq; necessariis benignè, ac gratuitò adjuvit; & favore, & liberalitate singulari complexus est: captos, & durissima servitute oppressos, Christianos, quantum in se fuit, ope, ac subsidio servavit, excitavit afflictos, prostratos erexit, periculis oppressos liberavit: pro quorum ipse salute vehementer sollicitus fuit: ac in communibus miseriis præcipuo quodam dolore angi visus est perpetuò. Nihil cum tantoperè conturbavit, quàm publicæ calamitatis dolor, & afflictæ Ecclesiae salus: cujus ruinam, & πανολεθρίαν, precibus muri instar, Deo oppositis, omni mente, omniq; animo avertere, annixus est. Gravis insuper erat: & semper seria tractabat. Colloquia Celsitudinis ejus plena erant pietatis: sæpe hominum malitiam, & impietatem deplorabat. De admiranda Ecclesiae gubernatione multoties loquebatur: beneficia

Dei,

Dei, in se collata, honorificè prædicabat: de contro-  
 versis in religione prudenter disputabat: de studiis,  
 ac laboribus Doctorum in Ecclesia subindè rogabat:  
 quæ in Læctione Bibliorum, & scriptorum Lutheri  
 observasset, creberrimè commemorabat: sæpe in  
 Principibus, sæpè in Theologis desiderabat justum  
 pietatis Zelum. Denicq; sua contentus sorte, aliena  
 non concupiscebat. Et, cùm sine hypocrisi verè verus  
 esset Christianus, semper coram hominibus lucebat  
 bonis operibus ad glorificandum Patrem cœlestem:  
 atq; in vera fide sedulò dabat operam; ut offerret Deo  
 hostias spirituales, acceptas ei per Jesum Christum.  
 Etenim, quemadmodum illustrissimi, ac Christianis-  
 simi Electores, ac Duces Saxoniae, Dn. Fridericus,  
 Sapiens, Dn. Johannes, Constans, & Dn. Johannes  
 Fridericus, Magnanimus, doctrinam cœlestem, co-  
 dice Biblico, unica norma, & iudice, comprehensam,  
 semper maximi fecerunt; eamq; omnibus Mundi the-  
 sauris longè prætulerunt; atq; idcirco, procul dubio  
 gubernati à Spiritu Sancto, ἀφορισμόν illum γνωμικόν  
 Esaiaë Prophetæ, Patruelis Messiaë, cap. 40. 8. quo-  
 tidie pro selecto Symbolo usurpârunt: *Verbum, Do-  
 mini manet in æternum*: ita horum laudatissimorum  
 Majorum vestigia prudenter secutus pientissimus, ac  
 patientissimus Princeps, Dn. Johannes V Vilhelmus,  
 subinde in fundendis precibus hoc ἀξίωμα pronuncia-  
 vit: REGE ME, DOMINE, VERBO TUO.  
 Tàm excellentibus virtutibus cùm exornatus fuerit  
 hic, quem celeberrime Princeps; nulla tamen arrogantia,  
 vel superbia in eo deprehendebatur: sed modestissi-  
 mè de sese & sensit, & locutus est. Et, si quid præsti-  
 tisset, ut reverâ multa, & magna præstitit: non sibi,

sed soli Deo ascribi, voluit. Suam verò indignitatem, & infirmitatem ingenuè fatebatur. Nec verò nos has tantas, tamq̃ præclaras hujus Principis virtutes hoc sine commemoramus; ut humanæ naturæ vires extollamus, aut hominem laudibus in coelum vehamus: sed immensa Dei opera, quæ Spiritu sancto suo in hoc præclaro suo organo effecit, prædicamus, ingentia Dei beneficia celebramus; quæ cumulatè per hunc laudatissimum Principē, in nos contulit. Non erat ille ἀναμάρτητος, nec suis fidebat viribus, aut meritis: sed agnoscebat naturæ suæ immundiciem, deplorabat suam infirmitatem, & peccata: omnem verò fiduciam collocabat in pretioso sanguine Jesu Christi: quem, sciebat, nobis datum esse Mediatorem, & thronum gratiæ; statuebat, sibi gratis remissa esse peccata, & se filium, & hæredem vitæ æternæ constitutum esse per solam fidem in Jesum Christum. Hanc consolationem efficacem frequenti usu cœnæ Dominicæ in pectore suo obsignabat: & assidua sacrae scripturæ lectione confirmabat. Tantum in præsentia de virtutibus: quibus noster Heros, templum Spiritus Sancti, & vivum veræ Ecclesiæ membrum, revera ornatus fuit.

Reliquum est, auditores: ut nunc pauca de genere vitæ illustrissimi nostri Principis in medium afferam. Quod ut commodiùs facere possim: Primùm observate: quid egerit, ut ita dicam, in cœlibatu: Deinde, quid ante plenariam gubernationem molitus sit in conjugio. Vita cælebs fuit scholastica, & militaris. De vita scholastica antea differui: ubi commemoravi Principem nostrum benè esse institutum, & privatim in arce Torgensi, & publicè in celeberrima

Acade-

Academia VVittenbergensi. De militia ejus, habita ratione temporis, hæc tantum propono: Postquam Doctor Martinus Lutherus, repurgator coelestis doctrinae Islebiae anno 1546. die Concordiae in Christo placidè obdormivit: statim dissolutus est conventus Ratisbonensis, in quo disputandum fuit de Augustana Confessione: & paulò post bellum in Germania exarsit. Nam, etsi illustrissimus, ac constantissimus Elector, Dn. Johannes Fridericus, pacis consilia vehementer amavit, Cæsareæ Majestati debitum honorem, & observantiam præstitit, atq; omnia fecit, quæ à Principe pio requiri possunt: tamen, cum in religione constans permaneret; & eam, quam semel amplexus erat, quamq; indubitato Dei verbo firmissimè niti, certò sciebat, doctrinam nollet deserere, Carolus Quintus, Imperator, victus quotidianis hortationibus Romani Pontificis, Episcoporum, inprimis Sacrificuli, sive, ut vocant, Confessionarii sui, vigesimo die Julii, anni à nato Christo M. D. XLVI. Ipsum Electorem, & cum eo Philippum, Hassiæ Landgravium, publicis literis proseripsit, prætextu quidem rebellionis, quasi debitam Majestati suæ obedientiam non præstarent, atq; foedera adversum se, & Imperium ferirent. Sed reverà propter religionem ista omnia fiebant: quia hi nolebant ad societatem redire Ecclesiæ Romanæ. Quo factò, Principes Evangelici causam per ardentis preces ipsi Deo commendabant, ejusq; in vera fide implorabant auxilium. Cùm autem frater, major natus, nostri Principis, Dn. Johannis VVilhelmi, cum Patre ad Danubium remgereret: ipse inter eà harum regionum præfectus mansit. Sed, cùm singulari Dei consilio inclytus Heros,

& Martyr, Dn. Johannes Fridericus, Dux, & Elector Saxoniae, pater nostri Principis, anno 1547. die Dominica Misericordias Domini, in manus hostium veniret, & in captivitatem abduceretur; ut hoc gravi casu Mundo testatum fieret, Ecclesiam Christi in terris non humano praesidio, vel potentia defendi, sed divinitus, & miraculose conservari: tum vero Dux Johannes V Vilhelmus minimè veritus est, Carolo V. in conspectum prodire, & pro salute, vitaque Parentis, unâ cum inclyta matre Sibylla in castris deprecari: à quo tunc ipse satis acceptus clementer, mirificeque tentatus, à religione orthodoxa, nec promissis cujusquam abduci, nec minis deterreri ullo modo potuit. Qua re admirabilem ipse de se hominum expectationem, spemque praecalam concitavit: & ab omnibus jam tunc suspici, diligi, & coli coepit: in eoque laudis genere paucorum annorum spatium tantum profecit: ut non modo eximiam apud reliquos Germaniae Principes auctoritatem consequeretur: verum etiam apud externos reges, ac Principes magnam sibi conciliaret dignitatem, & admirationem. Etenim, capto in acie Patre, & in hostium redacto potestate, omnidenique dignitate, & possessione indignè spoliato, fratri seniori Ecclesiam, & subditos commendans, & totam concedens gubernationem, parvo Comitatu sese contulit in aulas Principum: ut aliorum Principum mores, studia, & pia exempla consideraret: & inde peteret, sibi quod ex usu esse posset. Primum venit in aulam Principum Pomeraniae: ubi, cum videret nimis certari poculis, contulit se in Prutenicam aulam. Tandem ad regem Gallorum, Henricum, profectus est: & sub eo annos multos militavit. Quan-

to au-



to autem studio, & favore Principem nostrum profecutus fuerit inclytus rex Galliae: nemini vestrum ex publica fama ignotum esse, arbitror: cujus ipse adhuc juvenis modestiam, virtutem, rei militaris experientiam, fidelitatem, animi fortitudinem, & prudentiam consilii, non modò summoperè admiratus; sed egregiè quoq; postea remuneratus est. Siquidem non solum amplissima ei numeravit stipendia: Verùm etiam ditionem quondam in Galliae regno multos annos Celsitudini ejus addixit: & praëclaris muneribus eum Galliae regno devinxit. Quamvis autem luctuoso illo Germaniae tempore, quo passim in Imperio Romano de sacris, & profanis acriter fuit dimicatum, sub rege, pontificiae idololatriae addicto, militaret: cavebat tamen diligenter; nè suam pollueret conscientiam papisticorum idolorum, & errorum approbatione. Operam suam in bello locabat Regi: sed confessionè fidei, quæ nõ ignota erat Regi, & Proceribus Galliae, semper excepit, ac liberam retinuit. Saepè etiam apud Regem pro iis, qui propter religionem in vinculis detinebantur, intercessit: & quia gratia, & auctoritate apud Regem valebat; quosdam, in summo vitae periculo constitutos, eripuit. Sic Gallia periculosis temporibus in Principe nostro non solum fortem bellatorem; sed etiam aliquoties utilem, ac salutarem pacificatorem experta est. Ad nonum Octobris anni 1559. illustrissimus Princeps salvus, & incolumis reversus est ex Gallia Vinariam. Neq; in animum induxerat, in reditu alicui, addicto Imperio Romano, inferre bellum: quomodò falsus de eorum rumor sparsus erat. Quamobrèm publico scripto, misso è Gallia ad Ducem Bavariae, Dn. Albertum, se fa-

tis,

tis, superq̄ excusavit. Talem se virum, ac fortissimum militem præstitit hic Saxo in vita Cælibe: quam ne utiquam traduxit ignavo otio. Sed fortitudine bellica gloriam immortalem acquisivit, & adeptus est.

Anno supra sesquimillesimum sexagesimo, natus annos triginta, cogitationes, quas de matrimonio contrahendo susceperat, juxta legem divinam complevit. Nam ad decimum quintum Junii, Heidelbergæ adhibitis ritibus convenientibus, nuptias celebravit cum nobilissima, formosissima, piissimaq̄ virgine Domina Dorothea Susanna, charissima, & castissima filia illustrissimi Principis, ac Domini, Dn, Friderici, Palatini Rhæni, ac sacri Imperii Romani Electoris, Ducis Bavariæ, &c. Intereâ Vinarie publicè habitata est, disputatio de libero arbitrio per octiduum à secundo Augusti usque ad nonum ejusdem Mensis inter Matthiam Flacium Illyricum, & Victorinum Strigelium, coram illustrissimis Saxonie Principibus, eorumq̄ Consiliariis, Superintendentibus, ac Pastoribus, nec non studiosis, V Viteberga, Lipsia, & Jena eò profectis, aliisque civibus, & aulicis, quibus interesse libuit. Nemo enim fuit exclusus: quò veritatis cupidus vel indè cognoscere possent: tum dogmatum verorum certitudinem, & pravorum falsitatem: tum authorum, aut partium litigantium, vel apertam sinceritatem, vel mirificam, & impiam vafriciem. Illyricus expressè negavit, liberum arbitrium hominis animalis in rebus Spiritualibus posse aliquid propriis viribus, hunc ad modum è scriptura argumentatus:

Nulla res, aut causa, quæ amisit suas bonas vires, aliquid boni operari, aut coöperari potest: multo minus, si eadem insuper nacta est contrarias pessimas.

Scriptu-

Disputatio de libero arbitrio inter Matth. Flacium Illyricum et Victorinum Strigelium vicariæ habitata

Actum Jlyrici.

Scriptura testatur, hominem naturalem, aut Adamicum, non modò amisisse bonas vires, divinitus ipsi initio in imagine Dei inditas, quod ad religionem, seu spiritualia, sed etiam contrarias nactum esse.

Igitur impossibile est, Adamicum, seu naturalem hominem, aliquid boni operari, aut coöperari per se ad sui conversionem posse.

E contrario Victorinus, vir aliàs disertissimus, voluntati humanæ in conversione tribuit capacitatem, aptitudinem, modum agendi, & synergiam quandam. Sed qui volunt, totam illam disputationem, comprehensam tredecim sessionibus, legere possunt. Ad decimum diem Novembris ejusdem anni, millesimi nimirum, quingentesimi, & sexagesimi, lectissimam sponsam lectissimus sponsus, Dux Johannes V Wilhelmus decenti pompa, deduxit domum, in amoenissimam arcem Vinariensem. Fuit autem illud conjugium semper concordissimum, & felicissimum, utpote exornatū mutuo amore, singulari fide, incredibili mansuetudine, laudabili reverentia, & multis aliis præclarissimis virtutibus: de quibus supra, loco, ad virtutes istas recensendas accommodato, mentionē feci.

Verum enimverò deinceps usq; ad gubernationem pii, & Sancti Principis nostri periculossima, & tristissima tempora inciderunt. Nam quia aliqui deflectere coeperunt à priori confessionis forma, non tantum anno 1561. D. Simon Musæus, Matthæus iudex, à publico docendi munere remoti fuere Illyricus, & V Vigandus, verumetiam anno 1563. in exilium pulsi sunt M. Bartholomæus Rosinus, Superintendens Vinariensis, Alexius Bresnicerus, Superintendens Altenburgensis, M. Martinus V Volffius, Pa-

*Exilium Dni  
Johann. Wilhelmi*

stor Chalensis, Michael Schulteis, Pastor Creutzburgensis, & alii multi: qui ambiguae declarationis Victorini circumvectae anno superiori à Stöffelio, subscribere recusarunt. Sic in his regionibus tristissima Ecclesiarum confusio, & piorum pastorum persecutio exorta est. Et quia nulla calamitas est sola, post hac Thuringia in aliis quoque miseris versari coepit. Etenim nonnulli ex politicis eò rem adduxerunt: ut hostibus Imperii præberetur hospitium, & hæc provincia in summum discrimen adduceretur, præsertim commoto bello Gothano sub initium anni 1567. Propter hanc calamitatem summo moerore afflictus fuit illustrissimus, ac pientissimus noster Princeps, Dux Saxoniae, Dn. Johannes V Vilhelmus: & aliquoties per gloriam Dei, & salutem Ecclesiae, atque Reipublicae obtestatus est, monuit, ac vehementer rogavit: nè, religionis mutatione, & piorum pastorum ejectione ira Dei concitaretur; & nè fovendis Imperii hostibus Imperatoria Majestas ad justam indignationem permoveretur. Utinam his fraternis, ac justis precibus locus esset relictus. Profectò inclyta Domus Saxonica, & hæc regiones minus fuissent expertae calamitatum. Sed sufficiant hæc pauca, & memoria digna, de vita illustrissimi Principis nostri privata.

Nunc, quaeso, Patres conscripti, & auditores benevoli, arrigite aures, & audite: qualem se noster præstiterit Heros in vita publica, atque adeò in ipsa gubernatione. Nam ita in genere humano comparatum est: ut, quando homines magnos honores, & potentiam assecuti sunt, magis sese aperiant. Et, cum gravissima obiiciuntur virtuti pericula, & impedimenta: tum denique conspicitur; quæ nam sincera sit

virtus

virtus; & quàm altè radices egerit. Sapienter Livius, & Cicero ex Demosthene dicunt: *Ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δόκουνσι*, Magistratus virum arguit, vel indicat, Was der *Man kan / zeige das Ampt an*. Post triste bellum Gothicum, & civitatis deditioem, illustrissimus noster Princeps, quomodò antea sub initium Januarii anno 1567. Salveldiæ in Comitibus provincialibus conclusum fuit, ad integram harum regionum gubernationem omnipotentis Dei consilio, & clementi voluntate, ac mandato Cæsareæ Majestatis evehctus, invenit sanè statum hujus Ecclesiæ, Scholæ, & Reipublicæ corruptissimum, & perturbatissimum. Quemadmodùm aliquoties conquestus est optimus Princeps, se multas noctes egisse insomnes: ut modum & rationem inveniret; quo Ecclesiæ, Scholis & reipublicæ opem ferret, & priorem statum, qui fuerat sub optimo Principe, Electore, Dn. Johanne Friderico, Parente, reduceret: seque multis lachrymis, & suspiriis id contendisse, & unice à Deo petivisse, affirmavit. Tot verò, tantæque difficultates circumsteterunt pium Principem: ut non solùm eas oratione assequi, & exprimere, nequeam: sed etiam miraculis res plena sit, potuisse nimirùm Principem extantis difficultatibus eluctari, & salutarem reducere statum in Ecclesia, & Republica. Ut autem auditores, intelligatis; qualem in describenda eius gubernatione sim servaturus ordinem: vobis significo, me constituisse, in posterum progredi juxta tres hierarchias, sive tria genera vitæ à Deo instituta, scilicet, *Ecclesiasticum*, *Politicum*, & *Oeconomicum*. Quocircà primùm ostendam: quomodò Ecclesiam constituerit. Deinde monebo; qua ratione

*Politiam, administravit. Tum, commemorabo: qua diligentia, Oeconomiam, instituerit.*

De Ecclesiae constitutione, cum primùm quærendum sit regnum Dei, primò loco dicturus sum, & quidè secundùm temporum seriem: ut, quæ priora sunt tempore, priora quoq; sint futura tractatione. Per bilinguem Magistri Victorini Strigelii declarationem multi Pastores, & alii viri ita dementati fuerunt: ut nesciverint; utri parti de libero arbitrio fides esset habenda. Quapropter illustrissimus Princeps ad 12. Augusti anni 1567. curavit publicandam confutationem: in qua ex verbo Dei, scriptis Patrum Libris Lutheri, Concionibus Ecclesiasticis, Collectis, Augustana confessione, eius Apologia, Smalcaldicis articulis, Confutationibus Saxonis, & aliis firmissimis argumentis cothurnus iste reprehenditur, ac rejicitur. Ad decimum sextum Januarii anni 1568. proposuit publicum mandatum, & quidè descriptorum typis, repræsentans p̄ipectoris p̄ium Zelum: in quo, lectione dignissimo, inter cætera, præmissa mentione singularis gratiæ, & propensæ voluntatis erga universos, & singulos regionum, sibi subjectarum, status. Primùm delineat quasi corpus doctrinæ Thuringicum, complectens Prophetica, & Apostolica scripta, Augustanam Confessionem, ejusq; Apologiam, Smalcaldicos articulos, Doctoris Martini Lutheri libros, & Ducum Saxonie confutationes. Deindè potestatem facit exulantibus propter improbatam declarationem Victorini, redeundi in has terras, & ipsam Academiam. Tum insigni exemplo Ecclesiis restituit jus vocationis. Quartò, quia flexiloqua, & fanatica Victorini declaratio, quæ synergiam huma-

nae vo-

nae voluntatis in conversione hominis ad Deum con-  
 tra Dei verbum asserit, μήλον ἔριδος fuit, causam dedit  
 persecutioni piorum ministrorum, multorum consci-  
 entias vulneravit, & confessionis puritatem in his re-  
 gionibus contaminavit: idcirco christianissimus no-  
 ster Heros, instinctu spiritus sancti insistens vestigiis  
 Constantini Magni, Theodosii, Martiani, Caroli  
 Magni & laudatissimorum Majorum, ancipitem  
 istam, & suspectam, vel potius impiam & blasphemam,  
 declarationem sustulit, rescidit subscriptionem  
 pastorum, qui per errorem seducti fuere, mandavit  
 subditis: ut per injuriam pulsos, pastores revocarent  
 atque suis locis restituerent. Postremo commendavit  
 confutationem, Victorini Declarationi oppositam:  
 cujus antea mentio facta est. Hac diligenti, ac divina  
 providentia piis in tota Germania gratissima lux ex-  
 orta est: & passim laetissimae voces exauditae sunt;  
 quae maxime celebrarunt hoc insigne Dei beneficium;  
 & illustrem Ducis Saxoniae, Dn. Johannis V Vilhel-  
 mi pietatem summis laudibus in coelum vexerunt.  
 Ad sextum Octobris, reversus est Gallia, quod ad deci-  
 mum nonum Januarii ejusdem anni 1568. se contule-  
 rat, palam quosdam restituit exules. Praeterea cum  
 ex interimisticis actionibus in regionibus, & Ducati-  
 bus illustrissimo Electori, Dn. Augusto, & Principi,  
 Johanni V Vilhelmo subjectis, de quibusdam religi-  
 onis capitibus, inter scholarum doctores, ac mini-  
 stros contentiones, & dissidia exorta, eo usque crevis-  
 sent; ut una pars alteram de nonnullis erroribus, cor-  
 ruptelis, ac defectione à Confessione Augustana ac-  
 cusare, conaretur, quam tamen accusationem, altera  
 pars admittere noluit, unde utrinque varia scripta, ex-

cusa, sparsa, & in publicum emissa sunt: tandem, cum variis commonefactionibus, scriptionibus, obiectionibus, & responsionibus nihil efficeretur illustrissimus Princeps, ac Dominus, Dominus AUGUSTUS, Dux Saxoniae, sacri Romani Imperii Elector, & Archimarscallus, Landgravius Thuringae, Marchio Misniae, & Burgravius Magdeburgensis, Dominus olim noster clementissimus, petiit, ac suavit: ut colloquium inter Theologos Misnenses, & Thuringicos institueretur; si forte vel hac ratione controversiae componi possent. Princeps noster, Dn. Johannes VVilhelmus, annuit. Quocirca utriusque Principis consensu ad vigesimum Octobris anni 1568, Colloquio isti, Altenburgi instituto de articulo justificationis interesse coeperunt ex parte Dn. Electoris:

## Politici:

*Johannes à Bernstein.**Jonas à Zeschau.**Laurentius Lindenmannus J. U. D.*

## Theologi:

*D. Paulus Eberus.**D. Henricus Salmut.**D. Andreas Freyhub.**D. Petrus Pratorius.**M. Caspar Cruciger, junior**M. Christianus Schutz, Concinator aulicus.**M. Henricus Mollerus, Notarius.**Ex parte Dn. Johannis Wilhelmi.*

## Politici:

*Eberhardus à Than.**Petrus Prem J. U. D.**Hein-*

*Mag<sup>us</sup> A. d. d.  
B. y. u. s. e.*



*Heinricus ab Erffa.*

Theologi:

*D. Johannes Wigandus.*

*D. Johannes Fridericus caelestinus.*

*M. Christophorus Irenaeus.*

*M. Bartholomaeus Rosinus.*

*M. Alexius Bresnicerus.*

*M. Timotheus Kirchnerus.*

*M. Martinus Burgravius, Notarius.*

Huic Colloquio illustrissimus Princeps, ac Dominus, Dn. Johannes V Vilhelmus cupidissimus cognoscendi veritatem, & explorandi, quibus fundamentis adversarii niterentur, non tantum interfuit, verumetiam tanquam inspector, ac gubernator praefuit. Quanquam autem aliqui contra voluntatem Electoris indecenter se gesserunt: incredibili tamen patientia devoravit omnia patientissimus Princeps; suosque semper hortatus est ad modestiam, & constantiam in agnita veritate: nec pedem istinc prius movere voluit, quam alterius partis Theologi, abrupto colloquio, & curru conscenso, discesserunt. In hoc colloquio demonstravit Princeps noster: quod veritatis esset cupidissimus, quod controversias intelligeret, quodque non penderet a futili hominum authoritate: sed quod serio inquireret fundamenta infallibilia verae sententiae. Hoc enim unice agebat, & a Deo petebat: ut corruptelarum, quae haecenus turbaverant Ecclesiam, falsitas ex perspicuis sacrae scripturae testimoniis demonstraretur, stabili fundamento concordia inter Doctores Ecclesiae consensu pio constitueretur, & illibata veritas Evangelii sine omni fermento humanarum opinionum ad posteritatem transmittetur.

tur.

tur Huic ejus pio conatui Deum, prece humili, ac supplicii oratum, feliciter aspirasse, res ipsa loquitur. Sed vehementer doluit, ac metuit regno suo adversarius spiritus. Itaque omnem movit lapidem: ut inclytum Ducem, Dn. Johannem V Vilhelmum a pio proposito deterreret: & omnis generis obstacula ejus Celsitudini objiceret. Nam Academiae hujus Professores, qui tunc aderant, syncretismo facto, dehortabantur Principem ab emendatione, aut mutatione religionis. Imò non obscure significabant, se potius discessuros, quam consentire vellent in condemnationem declarationis Victorini. Hæc Professorum aliena voluntas triste vulnus infligebat optimo Principi: siquidem sperabat, se ab iis in emendatione status Ecclesiae adjutum iri. Jam autem, ut mollissimè dicam contrarium experiebatur. Quocirca Princeps postea clementissimè agebat cum Professoribus, ostendebat, declarationem Victorini pugnare cum verbo Dei, scriptis Lutheri, & harum regionum confessione, hortabatur eos ad pietatem, exponebat suam voluntatem: quòd nihil aliud expeteret, nec quæreret, quam, ut ille status Ecclesiae, & scholæ restitueretur, & illa Confessio doctrinae revocaretur, quæ fuisset sub laudatissimo, & optimo Principe, Duce, & Electore Saxoniae, Domino Johanne Friderico primo, dilectissimo Parente, beatæ memoriæ. Hoc enim sibi ab ejus celsitudine injunctum esse, hoc sibi divinitus mandari, sanctè affirmabat. D. Johannes Stosselius, tunc temporis hoc in loco superintendens, simulabat, sibi placere Principis institutum: & promittebat, se locuturum cum Rectore & Professoribus, ut assentirentur: Sed fraudulentus, & inconstans ille

Theol-

Theologus, qui ante partem confutationum Ducum Saxoniae conscripserat, Professores in adversa sententia confirmabat. Ipse tamen Princeps coram agebat cum Professoribus mitissimè, offerebat illis clementissimam voluntatem: & quod in errore versarentur, demonstrabat. Flectebat singulari clementia, & pietate sua ex iis quatuor, quos tandem nanciscabar conjunctissimos collegas. Reliqui sponte hinc discedebant, non vi, & injuria ejecti: Clarissimus, doctissimus, optimus, pientissimus, ac de hac Academia optimè meritus vir, Dn. M. JOHANNES ROSA, meus in Professione Dialectices, & Ethices dignissimus antecessor, felicitis recordationis ad decimumquartum Decembris, audita hora secunda pomeridiana, octiduo ante pium ex hac vita discessum, in aedibus suis mihi multa narrabat de suis in hac Universitate rebus gestis, inter caetera honorifica facta mentione reverendi, ac clarissimi viri, Dn. Erharti Schnepffii, primi in schola Jenensi Doctoris ac Professoris Theologiae: à quò, assererat, se aliquoties in suis difficultatibus, efficaci consolatione erectum, sustentatum esse. Cum primis, quod reticere, nec possum, nec debeo, summoperè praedicabat admirabilem illustrissimi Principis erga se clementiam. Nam, dicebat, cum animadvertisset, plerosque Lectores hinc parare abitum, me altis ductis suspiriis, manu comprehensum, lachrymas fermè profundens, diligentissimè, ac clementissimè rogabat: ut apud se haud gravatè manerem: praesertim, cum nihil aliud quæreret, quàm gloriam Dei, Ecclesiae salutem, emolumentum hujus Academiae, & suorum subditorum, ac ministrorum u.



tilitatem. Utinam, addebat, Senecerus hinc non migrasset: siquidem, salva conscientia, stationem suam retinere potuisset. Quod si ego, pergebat: mentis suae sensa exprimere, tam boni, pii, ac clementis Principis eximiae ac singulari voluntati non obtemperassem: jam certè me vehementer istius facti poeniteret. Nunc quantumvis aduersa conflictatus valetudine, læto sum animo; Deoq; maximas ago gratias: quòd me, propter Christum per spiritum sanctum ita gubernaverit; ut ex levitate aliqua neq; clementissimi Principis obsecrationem contemserim; neq; functionem meam legitimam in gratiam aliorum deseruerim. O quam suavem efflavit odorem pulcherrima nostra Rosa: dùm in hoc potius horto, quàm in alio, florere, & spiramine suo gratissimo plantas Academicas recreare voluit. Postquam vero Stöffelius, & alii nonnulli hanc Ecclesiam, & scholam, præter expectationem Principis, sponte deseruerunt: omni studio in istam cogitationem, ac curam diligenter incubuit; ut sinceros accerferet theologos, & omnium facultatum convocaret Professores solertissimos, atq; ita rursus Salanam optimè constitueret, decretis, ac persolutis stipendiis liberaliter in quibus tunc temporis facile acquiescere potuimus. Ad vigesimum quartum Januarii anni 1569. illustrissimus Princeps auxit privilegia, & statuta Academiae. Ad decimum octavum Februarii ejusdem anni recitationi statutorum ipse in propria persona gravem, & suavem præmisit orationem: qua ista universae Academiae, & toti Civitati pro sua summa authoritate de meliori nota quàm diligentissimè commendavit. Ut autem omnes intelligant: quæ, & qualia sint Universitatis nostræ

statuta

statuta, tibi, Dn. Magister Christiane, Notarie  
Compater charissime, injungo: ut nunc statim ea so-  
nora voce in hoc sacratissimo loco prælegas. Vos au-  
tem universos & singulos, nobiles, ac studiosos juve-  
nes diligenter admonitos, imò, si par est, magnoperè  
quoque rogatos, volo: ut, subauscultando, quid expo-  
natur, studiosè attendatis.

## Hic statuta recitata sunt.

**J**Am auditores charissimi, attentè, ut vidi audivistis;  
&, ut persuasum ac statutum habeo, rectè percepi-  
stis: quæ, & qualia nam præcepta complectantur  
hæ leges; quæ nos omnes, qui sumus membra hujus  
corporis Academici, vel ad obedientiam, vel ad pœ-  
nam obligant. Nihil autem in hoc celeberrimo con-  
ventu nunc restare videtur: nisi ut secundum hæc il-  
lustrissima, illustrissimorum Principum, Ducum Sa-  
xoniæ, statuta nostram instituamus vitam, nostrosque  
ritè conformemus mores. Quapropter, Patres Aca-  
demici & quotquot adestis, & adesse, debetis, nobiles,  
ac studiosi juvenes, vos omnes & singulos, pro ea,  
qua in præsentia fungor, autoritate, denuò vehe-  
menter adhortor, & obtestor: ut prælectis, & audi-  
tis statutis lubentes, ac lætis sponte, sine coactione,  
quod ingenuorum est hominum, debitam præstetis  
obedientiam. Etenim sapientissimus, ac justissi-  
mus Deus, unus in essentia, & trinus in personis,  
in universis sacrosanctis Bibliis per Prophetas, &  
Apostolos nos passim invitatur ad observandas leges,  
in veteri testamento promulgatas, & in novo repe-  
titas, & explicatas. Nostra autem statuta reverà le-  
gis divinæ præcipua pars sunt, utpotè ex Decalogo,



vel potiùs ex uniuersa Scriptura sacra, magno iudicio, & summa diligentia collecta, & in hunc, quem habemus, ordinem redacta: quomodò in oratione, sub initium primi mei Rectoratus recitata, copiosè ostendi: Quocircà auditores, si obediveritis ordinationibus nostrorum illustrissimorum Principum, existimetis, vos ipsi Deo obsecutos fuisse. Profectò illustrissimi Principes, ac Domini, Dn, Johannes Fridericus II. Dn. Johannes V Vilhelmus, & Dn. Johannes Fridericus III. Domini nostri quondàm clementissimi, de mandato Christianissimi, & constantissimi Parentis, anno 1558. in die Conversionis Pauli hæc statuta hoc fine ordinârunt, publicata Calendis Februariis ejusdem anni. Hæc frater optimus ex tribus amantissimis fratribus medius, Dn. Johannes V Vilhelmus, ad decimum octavum Februarii, qui sacer fuit Concordiæ, anni millesimi quingentesimi sexagesimi noni, habita in majori auditorio, tanto Heroe, ac Principe digna, apta, & splendida oratione, gravissimis de causis renovata, & quibusdam articulis aucta, denuò curavit publicanda, audienda, observanda, In ista illustri oratione decus, & ornamentum domus Saxonicae commemorat: quo consilio, & fine hæc schola à parente suo fundata sit, nimirum, ut sit sedes illustris incorruptæ doctrinæ Evangelii: exponit, quanta gravitate optimus Princeps Johannes Fridericus, Parens, felicis memoriæ, ante obitum commendaverit filiis hanc scholam, ne ullis corruptelis locum darent, addita hæc promissione, & comminatione, felices eos fore, si paruerint isti mandato; sin minus cum gravi damno sensuros eos iram Dei: se igitur, memorem paternæ commonefactionis, hoc

unum

unum suadere: ut scholam, & Ecclesiam in eum statum restituat; qui fuerit sub optimo Principe, Parente suo. Ad vicesimum secundum Januarii anni 1591. illustrissimi Principes, ac Domini, Dn. Fridericus V Vilhelmus, & Dn. Johannes Casimirus, tam suo quam dilectissimorum fratrum, Dn. Johannis & Dn. Johannis Ernesti nomine, certas, easq; graves ob causas, honesta, & in verbo Dei fundata, Universitatis Jenensis statuta iterum perlegerunt, perlecta amplivicârunt, amplificata declarârunt, declarata sigillis suis ornârunt, & sic ornata propriis manibus confirmârunt, confirmata porrò universis, ac singulis singularum facultatum Professoribus clementissimè tradenda, & servanda curârunt. Easdem leges uno quolibet Semestri nos magistratus, & Senatores Academici repetimus, & publicitùs inculcamus: nè aliquis è nostris civibus earum ignorantiam prætere queat. Ad hæc feceritis charissimis parentibus, tutoribus, curatoribus, ac patronis, vestris rem perquam gratam, & acceptam: ubi de vestra obediëntia certiores redditi fuerint. Præterea hæc morū conformatio nō est aliena à vestro officio. Nam, quia fidem juratam dedistis nostræ Civitatis legibus, necesse est: ut iisdem quoq; veluti bonos ac pios cives decet, modestè pareatis. Quod ubi sedulò feceritis, quomodò de vobis omnibus mihi optima quæq; polliceor; Deus optimus maximus vestris studiis, tam humanitatis, quam pietatis, propter Christum per spiritum sanctum, absq; omni dubitatione ità benedicet: ut aliquando maximo cum fructu, & summa laude serviatis celebrationi nominis divini, commodetis Ecclesiæ, utilitatem afferatis Reipublicæ, emolumento sitis vitæ Oeconomicae, ac



denique plurimis afficiatis ornamentis, cum vosmet ipsos, tum totas vestras familias, & si qua futura est, posteritatem. Id quod non tantum nudis opto verbis: verumetiam ex animo in vera fide vobis universis, ac singulis precor, ac polliceor.

Quod reliquum est, ab omnipotenti, misericordi, clementi, verò, ac vivo Deo, Patre, Domino nostri Jesu Christi, crucifixi pro nobis, ac resuscitati, prece humili, ac supplici peto, quæsoque: ut illustrissimum nostrum Principem Dn. JOHANNEM cum illustrissima, piissimaque Coniuge, atque charissimis filiis, nec non illustrissimum, ac serenissimum Electorem Dn. Christianum secundum, tutorio nomine has terras simul administrantem, cum tota Domo Saxonica, diu salvos, & incolumes conservare, nostramque Academiam cum omnibus membris augere, fovere, spiritu sancto suo regere, & tam in hoc, quam in sequentibus Rectoratibus, semper tranquillam, pacatam, & quietam, contra omnia pericula clementer defendere, dignetur: quò sanctissimum eius nomen à nobis, cum in hac, tum in futura vita seculis infinitis prædicetur.

A M E N.







**S**I quis convivis, ex Lydo ficta metallo,  
Acri propinet pocula plena mero:  
Vas specie prestans praestantia condere vina,  
Credentes, calicem gutture quiq; trahent.  
At simul ac cupidis tangent data pocula labellis,  
In rugas acris contrahet ora sapor.  
Ad lachrymas rodente vocabit acore bibentem,  
Poculum, spectantis quod modo pavit oculos.  
Fallunt sceptrapari ratione scholastica, curas  
Sollicitas auro dum radiante tegunt.  
Grata quidem res est, humeros si purpura cingat:  
Delectat rutilos enumerare globos:  
Inter Apollineos proceres audire supremum,  
Augeri titulis grandiloquisq; placet.  
Sed regere imperio populum, componere lites,  
De reprobis durum sumere supplicium,  
Noctes atq; dies aures praebere querelis,  
Munera, visa prius dulcia, amara facit.  
Sapius & Momus genuinis dentibus ater  
Candida Rectoris pungere facta solet.  
Hinc ubi post factum cautus quis sentit, honore  
Anxia sub dulci tecta latere mala:  
Quae vix ambabus manibus comprehendit, utraq;  
Querit ut amoveat tristia sceptram manu.  
Hac tibi cum quarto, genitor charissime, voto  
Unanimi patrum deferat ordo, seni:  
Quae cum laude prius gessisti munera, firmus  
Accipias, abeas firmior inde, precor.

Quas

*Quas minuit vires annosa senecta, supremus  
Restituet Rector, quo superare queas.*

Fridericus Reudenius F.

A L I U D.

**E**N vice jam quartâ celebris, celeberrime Doctor,  
Salanæ dantur sceptrâ gerenda tibi,  
Sic moderante Deo, sic decernente Senatu  
Salanæ recipis jura tuenda Scholæ;  
Ergò tibi applaudunt cuncti juvenesq; senesq;  
Fascibus optantes vela secunda tuis,  
Ipse etiam grator, quem jure mereris, honorem.  
Versibus incultis, Fautor amande, tibi,  
Ad Jehovam supplex fundens pia vota precesq;  
Conjunctis manibus succiduoq; genu:  
SUMME NOVUM RECTOR Rectorem dirige, rectam  
Ad normam legum dirigat ille gregem.  
Præmia dando probis, reprobos plectendo severè,  
Dum patrant animo facta nefanda malo.  
Herculeum verò, fasces clavumq; tenere,  
Cum sit onus magè, quam jure vocandus honos,  
Suggere Christe viro vires animumq; virilem.  
Exantlare queat tam grave Atlantis onus,  
Pierijq; gregis, si quæ sunt forsan oborta,  
Jurgia sedare & tollere ritè queat;  
Deniq;, per brevibus complectar ut omnia verbis,  
Quicquid agit sacro flamine, Christe, bea.  
Hæc sunt vota, quibus voveo tibi prospera fata,  
Nec dubito, pondus quin habitura sient.  
Vive valeq; diu sospes, clarissime Rector,  
Neu tenues elegos despice, vive, vale.

Andreas Knosp Ambergensis, Palatinus.

F I N I S.

ULB Halle  
004 967 364

3



VD.17

115.





bus, iat  
one dig  
cum no  
fension  
tempo  
nostræ  
inrem  
expedi  
abstrak  
dendu  
& cano  
causas  
runt ex  
& Epi  
Cæ  
simi iu



XIME  
nui, inge-  
i, ac pii ju  
ongè cha-  
oni, quã,  
s rationi-  
uid, lecti-  
æfertim,  
ne, ac de-  
cum hoc  
a afflictæ  
as, eiusq;  
ius modi  
ribendo  
c superse-  
benevoli,  
editionis  
ere pote-  
γαυματεία,  
ac lectis-  
incipere ac  
Duce

